



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

**Parisiis, 1644**

In Concilium Calchedonense œcumenicum seu vniuersale IV. approbatum,  
in quo sexcenti triginta episcopi omnes hæreses, maxime Eutychetis &  
Discori, condemnarunt, anno Domini 451. Marciano & Adelphio ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14887**

more scripsi vestrae pietatis imperio, septima & vicesima die Augusti mensis, anno secundo imperii, indictione decima. Saluto vestram diuinitatem, & omnes diligentes tranquillitatem vestram, & deprecor omnipotentem Deum, vt statuat vestrum imperium longaeuis in hoc mundo temporibus, & in futuro saeculo coram Deo.

ANNO  
CHRISTI  
431.

## I N

## CONCILIVM CALCHEDONENSE

oecumenicum seu vniuersale IV.<sup>d</sup> approbatum, in quo  
e sexcenti triginta episcopi omnes haereses, maxime  
f Eutychetis & s Dioscori, h condemnarunt, anno Do-  
mini 451. Marciano & Adelphio consulibus, aera 489.

## NOTÆ.

Hoc Con-  
cilium a  
Leone pon-  
tificis indi-  
ctum est.

Qua occa-  
sione?

Imperato-  
ris rogatu  
pontifex in-  
dixit Con-  
cilium.

<sup>a</sup> *Concilium.* ] Hæc sacrosancta Synodus auctoritate sancti Leonis indicta, hortatu, opera, & auxilio Marciani imperatoris congregata, conuocata ac defensa fuit hac occasione. Post obitum Theodosii imperatoris, voluntate sanctæ Pulcheriæ ex senatusconsulto delatum est imperium Marciano. Cum enim nullum præcessisset exemplum, vt Augusta sola moderaretur habenas imperii, ipsaque Deo virginitatem vouisset, iamque ætate grandior esset, vt pote quæ annum quinquagesimum primum vitæ suæ ageret, salubre illud iniit consilium, vt coniugii titulo eueheret in imperium virum ætate maturum, consilio grauem, continentia probatum, atque militari virtute vbique spectatum; sicque optimo imperii regimini opportune consuleret, vt tamen deuotæ Deo virginitatis integritati omnino prospectum esset. Nutu igitur ac voluntate diuina electus imperator Marcianus duabus epistolis, quæ extant inter præambulares Concilii Calchedonensis, ad Leonem scriptis, rogat pontificem, vt ad propulandas hæreses, locum, tempus & modum congregandi Concilii vniuersalis præscribat. Priore epistola hæc ait: *Per celebrandam Synodum te auctore maxima pars circa omnes episcopos fidei catholica fiat.* Secunda epistola ad Leonem, quæ extat inter præambulares: *Supereft, inquit, vt si placuerit tuae beatitudini in has partes aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur.* Et paulo post: *Si vero hoc onerosum est, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipsum propriis literis tua sanctitas manifestet, quatenus & in omnem orientem, & in ipsam Thraciam & Illyricum nostra litera dirigantur, vt ad quemdam destinatum locum vbi vobis placuerit, omnes sanctissimi episcopi debeant conuenire, & quæ Christiana religioni & catholica fidei prosint, sicut sanctitas tua secundum ecclesiasticas regulas definierit, sua dispositione declarent.*

ANNO  
CHRISTI  
451.

Idem enixe admodum Pulcheria Augusta petens epistola ad Leonem scripta, ait: *Tua reuerentia, quocumque modo prospexerit, significare dignetur: ut omnes etiam totius orientis episcopi, Thracie atque Illyrici (sicut etiam nostro domino, piissimo imperatori, meo coniugi placuit) in unam ciuitatem velociter ab orientalibus partibus valeant conuenire; & illic sancto Concilio & de catholica confessione, & de his episcopis qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit, te auctore decernant.* Hæc ex epistola Pulcheriæ ad Leonem, quæ extat inter præambulares Concilii Calchedonensis. Tanta cum industria Concilium œcumenicum expetentibus Augustis, pontifex respondit; ob ingruentem Hunnorum exercitum Gallias deuantantem, & iam Italiam inuadere cogitantem, Concilium œcumenicum ad tempus opportunum differendum esse; ideo nimirum, ut episcopi a barbarica hostilitate liberati, se libere ad Synodum conferre possent. Constat ex epistola Leonis quadragesima secunda, quadragesima tertia, & quadragesima quarta, dum confensisset, nouaque legatione, qua Synodo œcumenicæ interesset, decreta, priorem illam, de qua supra in notis Concilii Constantinopolitani & Mediolanensis egimus, reuocasset; imperator piissimus publicam edidit sanctionem inter præambulares Concilii Calchedonensis extantem, de Synodo œcumenica Nicææ in Bithynia Kalendis Septembris celebranda. Oprabat enim ibi contra hæresim Eutychemis vniuersale Concilium celebrari, vbi primum Ariana impietas damnata fuit. Legati pontificii de fide occidentalium per Leonem & prouincialia Concilia Mediolani atque alibi in oriente habita iam ante, prout fieri consuevit, informati, cum literis commendatitiis ad imperatorem scriptis, ante Kalendas Iulias Roma discesserunt, secum deferentes etiam Leonis pontificis epistolam quadragesimam septimam ad Synodum transmissam; ex qua patres Concilii intelligerent, quibus de rebus in Synodo agere, quosque Concilii præfides agnoscere deberent. Cum igitur ad præfinitum diem Kalendarum Septembrium episcopi ad Synodum conuocati, se Nicæam Bithyniæ contulissent, ibique pluribus diebus aduentum imperatoris Synodo interesse volentis, expectassent, scriptis ad imperatorem epistolis petitum fuit, ut quia plures episcopi ob difficultatem & laborem itineris, infirmitatibus, aliisque angustiis affligerentur, conuentus ex more agi permitteret. Ad hoc Marcianus Augustus rescripsit, visum esse apostolicæ sedis legatis, ne absque imperatoris sententia Synodus ageretur, seque propediem affuturum pollicitus est. Sin autem aduentum maturare non liceret, hortatus est eosdem, ut se Calchedonem conferrent. Cum interea Illyricum ob metum imminenti barbaricæ inuasionis perturbari audiuisset, adeoque non videretur esse tutum, ob bellicas expeditiones Constantinopoli longe recedere, decima Kalendarum Octobris, patres Nicææ congregatos iteratis literis Calchedonem Constantinopoli propinquo-rem conuocauit. Vnde, quod initio dixi, liquidissime constat, hanc Synodum œcumenicam, imperatoris instinctu & consilio, ponti-

Quid pon-  
tiffex respō-  
derit.

Quare mā-  
datum, vt  
Nicææ con-  
uenirent e-  
piscopi.

Qua oecū-  
sione Con-  
cilium Ni-  
cææ Calche-  
donem trāf-  
latum sit.

ficus autem iussu atque auctoritate congregatam fuisse. Hoc apertis verbis profitentur episcopi secundæ Mœciæ in epistola ad Leonem imperatorem, quæ extat inter epistolas ad Calchedonense Concilium pertinentes, vbi sic aiunt: *In Calchedonensium ciuitate multi sancti episcopi conuenerunt, per iussu Leonis Romani pontificis, qui vere caput est episcoporum.* Denique Gelasius in epistola ad episcopos Dardaniæ scribit, non Alexandrinam vel Antiochenam, sed solam duntaxat apostolicam sedem cum auxilio imperatoris, sua auctoritate decreuisse, vt Synodus Calchedonensis fieret. Quod si Magdeburgenses, prout debebant, bene accepissent, non tam impudenter Gelasium vera scribentem de mendacio arguissent. Scitu & obseruatu necessarium est, appellatione huius Concilii ea tantum acta intelligenda esse, quæ Leonis primi pontificis maximi auctoritate confirmata fuerunt. Nam decretum illud actionis decimæ sextæ, quo patres Concilii absentibus legatis & postea reclamantibus, Constantinopolitanæ sedi primatum attribuerunt, ideo quod instar Romæ caput imperii effecta, primatum meruerit, velut illegitimum a Leone pontifice iustissime improbatum fuit. Supponit enim, quod Romana sedes tunc primatum habere meruerit, cum Romani orbis imperio potiretur; atque adeo non diuino, sed humano iure caput ecclesiarum effecta fuerit. Vide quæ dicemus infra verbo *approbatum*. Baronius anno 450. & 451. Bellarminus libro quarto de Concil. cap. 13.

Redarguitur Magde.

Quæ acta appellatione huius Concilii nominanda sunt.

Calchedon quæ & qualis vrbs.

Hæc vrbs occasione Concilii facta est metropolis.

Locus habitati Concilii.

Confessus episcoporum vbi.

<sup>b</sup> *Calchedonense*. ] Sic dictum a Calchedone, quæ erat ciuitas Bithyniæ, prope Bosporum Thracium, e conspectu Byzantii, quod in altera parte est situm. Hanc Megareses condiderunt, teste Strabone libro duodecimo. Incolæ vrbis Cæci appellati sunt, ideo quod non potius oppositum litus elegerint, in quo postea conditum est Byzantium, loco longe feliciore situm. Huius meminit Pomponius lib. 2. Plinius lib. 5. cap. vlt. Ptolemæus cap. 1. lib. 5. Antonius in suo itineralio. Hæc ciuitas licet ante non ignobilis foret, a patribus huius Concilii honore & dignitate clarior & illustrior reddita fuit. Cum imperator instaret, vt ad honorem Euphemie martyris Calchedon nomine tenus metropolis dignitatem consequeretur, citra præiudicium Nicomediæ; patres Concilii actione septima communi consensu id admiserunt. Et quamquam principio imperator voto singulari desideraret, vt patres Nicæam conuenirent, eodemque loco, quo primum Ariana perfidia oppugnata est, Eurychianam hæresim condemnarent: propter bellicas tamen expeditiones, & barbarorum incursiones fieri debuit, vt patres præscripto die Nicææ congregati, transferrentur Calchedonem, quæ Constantinopoli propinquior, & a metu hostium multo securior erat.

In amplissima basilica sanctæ Euphemie martyris, quæ non intra moenia, sed in suburbiis collocata fuit, episcopi conuenerunt. Ante cancellos sacri altaris in secretario, prout fieri consuevit, synodalis patrum confessus fuit. Quo ordine, infra dicemus verbo *sexcentorum*. Ecclesiam sanctæ Euphemie graphice describit Euagrius lib. 2. cap. 3. Quis locus ecclesie dicatur secretarium, siue sacrarium, post ea

ANNO  
 CHRISTI  
 451.

quæ notauimus supra Canone 21. Concilii Laodicensi, prolixius ostendit Baronius an. 451. num. 61. 62. & 63.

*œcumenicum seu vniuersale.* ] Cum ad instantiam imperatoris hoc Concilium auctoritate Romani pontificis indictum sit, iussuque eiusdem omnes episcopi totius orbis conuocati fuerint, vt patet ex iis quæ diximus supra verbo *Concilium*: cum denique huic sanctorum patrum conuentui Romanus pontifex per suos legatos præfederit, quis vniuersale & œcumenicum esse neget? Paschasium & Lucentium episcopos, Bonifacium & Basilium presbyteros, legationis munere fungentes Synodo interfuisse ac præfedis, singulæ fere actiones Concilii attestantur. Ipsi enim in omnibus prope actionibus primi nominantur, primi sedent, primi loquuntur, & primi subscribunt, non alia sane auctoritate, quam vt ius præsidendi a pontifice sibi delegatum ipso facto vsurparent. Quid quod ipsi legati, definitiuam sententiam in Dioscorum pronuntiantes, apertis verbis indicent actione tertia, se id nomine pontificis velut vniuersi Concilii præfides præstare? Verba sententiæ hæc sint. *Sanctissimus ac beatissimus papa caput vniuersalis ecclesie Leo, per nos legatos suos, sancta Synodo consentiente, Petri apostoli præditus dignitate, qui ecclesie fundamentum & petra fidei, & celestis regni ianitor nuncupatur, episcopali dignitate Dioscorum nudauit, & ab omni sacerdotali opere fecit exiorem.* Tertio, quod supra nominatis episcopis ac presbyteris auctoritate pontificia collata sit præsidendi auctoritas, ipse sanctus Leo pontifex epistola quam scripsit ad Synodum Calchedonensem, 47. 45. profertur his verbis: *In his fratribus Paschasino & Lucentio episcopis, Bonifacio & Basilio presbyteris, qui ab apostolica sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere.* Quarto denique ex synodica ipsius Concilii ad Leonem scripta, quæ habetur post finem Concilii, manifesto constat, ipsos legatos non tantum præsidendi auctoritatem habuisse & vsurpasse, verum etiam ab omnibus patribus Concilii pro præsidibus agnitos & honoratos fuisse. *Tu quidem, inquit, sicut membris caput præeras in his qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferens.* Si dicas, Marcianum Concilio prima actione interfuisse, eumque primo loco sedisse, adeoque vt iudicem ac præsidem Concilii præsto fuisse: Respondeo, imperatorem in propria persona non primæ sed secundæ actioni, & per sæculares iudices posterioribus actionibus omnibus interfuisse: vt iudicem controuersiarum fidei egerit, nemo præter insanum Lutherum aliquem aut Caluinum affirmauerit. Qua intentione imperator per se aut suos vicarios præfens esse voluerit, patres Concilii in epistola synodica ad Leonem scribunt his verbis. *Tu episcopis iudicibus sicut membris caput præeras in his qui tuum tenebant locum: imperatores vero ad ordinandum decentissime præsidebant, &c.* nimirum, vt omnem vim, fraudem atque tumultum a Synodo auerterent. Cum enim in Conciliabulo Ephesino Dioscorus Alexandrinus episcopus, vsurpatus dumtaxat & illegitimus vniuersalis Concilii præses, introductis militibus, episcopos ad subscribendum coegisset, voluit per se vel suos

Concilium  
 œcumenicum  
 fuit.

Legatos apostolicæ  
 sedis præfedis  
 Concilio probatur  
 quatuor  
 rationibus.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

Ratio 4.

Refellit  
 obiectio.

Qua intentione  
 imperator per se  
 vel suos  
 Concilio  
 interfuerit.

vicarios interesse, ne cuiquam aliqua violentia inferretur. Hoc est, quod in oratione ad Synodum habita actione sexta ait, se venisse ad confirmandam fidem, sicut olim fecerat Constantinus magnus: qui cum non ad iudicandas & explicandas fidei controuersias, sed ad defendendum & exequendum decreta Synodi præsto adfuerit, certum est non alia intentione Marcianum imperatorem huic Concilio interfuisse, quam ut illud sua auctoritate aduersus hæreticorum tumultus ac seditiones tutaret ac defenderet. Aduertat ergo lector, quam splendide mentiatur Caluinus, dum ait ex solo permissu & priuilegio imperatoris, atque ex defectu personarum idonearum accidisse, quod legati pontificis huic Concilio præfederint. Vide Bellarminum lib. 1. de Conciliis cap. 19.

Caluini mendacium detegitur.

Quæ acta huius Concilii approbata sunt. Reprobantur quæ de primatu Constantinopolitanae sedis decreta sunt.

<sup>d</sup> *Approbatum.*] Ea quæ hoc Concilio de fide incarnationis Domini nostri Iesu Christi contra hæresim Eutychianam communi patrum orthodoxorum sententia definita sunt, auctoritate Leonis pontificis, prout iidem patres Concilii synodali epistola ad Leonem scripta expedierant, confirmata & approbata fuerunt, ut patet ex circulari epistola. Id vero quod instigante Anatolio Constantinopolitano antistite, ambitiose, absentibus, & postea contradicentibus legatis, de primatu sedis Constantinopolitanae contra decreta Nicæni Concilii constitutum fuit, ut post Romanam sedem, secundum locum patriarchalis honoris ac dignitatis Constantinopolitana ecclesia haberet; id inquam, sanctus Leo pontifex plane improbauit, cassauit, atque irritum reddidit. Approbatio decretorum fidei extat epistola Leonis LXI. quam ad Synodum Chalcedone habitam scripsit. Cuius initio hæc ait: *Omniem quidem fraternitatem vestram nosse non ambigo, definitiones sanctæ Synodi, quæ ad confirmationem fidei in Chalcedonensi ciuitate celebrata est, toto corde me fuisse complexum. Et paulo infra: Ne ergo per malignos interpretes dubitale videatur, utrum quæ in Synodo Chalcedonensi per vnanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem; hæc ad omnes fratres & coepiscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi, quæ gloriosissimus & clementissimus princeps (sicut poposci) in notitiam vestram mittere pro catholica fidei amore dignabitur: ut & fraterna vniuersitas, & omnium fidelium corda agnoscant, me non solum per fratres qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium propriam vobiscum iniisse sententiam, in sola videlicet fidei causa (quod sæpe dicendum est) propter quam generale Concilium, & ex præcepto Christianorum principum, & ex consensu apostolica sedis placuit congregari, damnatis hæreticis: qui si corrigi voluissent, nulla penitus resideret de vera Domini nostri Iesu Christi incarnatione dubitatio. Vnde si quis unquam ausus fuerit vel Nestorii perfidiam tueri, vel Eutychetis aut Dioscori impium dogma defendere, a catholicorum communionem rescetur, nec habeat eius corporis participationem, cuius abnegat veritatem. De improbatione primatus sedi Constantinopolitanae adiudicati, idem Leo pontifex epistola quinquagesima quinta ad Pulcheriam scribit. *Consensiones episcoporum & sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum**

ANNO  
CHRISTI  
451.

torum regulis repugnantes, unita nobiscum vestra fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri apostoli generali prorsus definitione cassamus. Omnia igitur illa, quæ nomine huius Concilii sub præsidio Leonis habiti continentur, eiusdem auctoritate approbata fuerunt. Canones vero, quos legatis absentibus ad Concilium clanculo & furtim addiderunt orientales episcopi, a Leone pontifice nequaquam recepti fuere, cum nihil præter fidei definitionem confirmarit, vt ex epistola 61. verbis supra recitatis liquido apparet.

Præter confirmationem sedis apostolicæ, accesserunt etiam ad corroborandam hanc Calchedonensem Synodum sanctissimorum virorum, qui his temporibus orientalem ecclesiam illustrabant, & miraculorum virtute nitebant, sanctorum Euthymii nimirum & Auxentii elogia, qui se fidem hac Synodo definitam tenere, verbis & miraculis testati fuerunt. Refert Zonaras tomo tertio annalium, quod cum Eutylianæ factionis sectarii decreta Concilii subfannarent, eiusque auctoritatem non veritate, sed potentia imperatoris niti dicerent, Anatolium patriarcham conuocatis aduersariis ita locutum fuisse: *Quoniam sententiam vestram adhuc mordicus tenetis, neque vos perperam sentire creditis, sed nos incusatis, quasi Nestorii dogma approbemus, cum duas naturas in Saluatore predicemus, vtraque citra confusionem proprietatem suam retinente, istius controuersie dubitatio, si placet, Deo permittatur. Scribatur igitur vestra de fide sententia in vno libello, & nostra in altero: atque ambo in loculo gloriose martyris Euphemie collocentur, & huius iudicium esto, vtri recte an perperam sentiant. Hæc cum hæreticis etiam placuissent, libelli scripti, remoto lapide qui loculum claudebat, pectori martyris apponuntur; & lapis in suum locum repositus, ab vtraque parte signatur. Dehinc supplicationes fiunt, & preces ad Deum peruigiles, vt demonstret vtra sententia ei cordi sit, & que reiicienda videatur. Post triduum conueniunt, imperatore etiam presente. Aperto loculo (o rem mirabilem!) libellus hæreticorum ad pedes martyris inuenitur; alter in manu eius dextera, quam extendisse fertur ad imperatorem & patriarcham, ac libellum ei porrexisset. Itaque recta sententia assertores plaudere, aduersarii vero demissis vultibus & præ pudore caligantibus, abire, quidam etiam veram sententiam amplecti. Hæc Zonaras, quem sequitur Glicas tomo tertio annalium. Metaphrastes & Nicephorus lib. 15. cap. 5. eamdem quidem historiam recensent, sed in ratione temporis aberrant. Non infima laus sacrosancti Concilii est, quod a Concilio Constantinopolitano, anno vigesimo Leonis celebrato, confirmatum sit; quodque triginta septem metropolitani orientales, teste Euagrion libro 2. cap. 10. & Liberato in breuiario cap. 15. ad Leonem imperatorem anno Christi 457. rescribunt, Calchedonensem Synodum vsque ad sanguinem vindicandam, eo quod non alteram fidem teneret, quam Synodus Nicæna constituit. Basiliscum imperatorem tyrannum & hæreticum, qui erat quasi flagellum Dei & virga furoris Domini, & manifestus persecutor ecclesie, hanc Synodum, quod refert Euagrius lib. 3. cap. 4.*

Calchedonensis fidei definitio miraculis confirmata.

Omnes fere orientales episcopi ad Leonem imperatorem scriptis, supra in fine Concilii huius extantibus, hanc Synodum approbant.

Basiliscus &  
Anastasio  
imperato-  
res oppu-  
gnarunt.

reieciſſe: Anaſtaſium Acephalorum hæreticorum ſectarium, alioſ-  
que hæreticos plures, teſte eodem Euagrio cap. 30. eamdem acerri-  
me impugnari concedimus: ſed cum magno gloriæ & celebritatis  
augmento, ad Concilium hac occasione addito. Nam quanto eam  
hæretici grauius accuſarunt, tanto eam viri ſancti fortius defende-  
runt & propugnarunt. Theodoſius cœnobiarcha ſanctiſſimus in e-  
piſtola ad Anaſtaſium, quam ex Metaphraſte recitat Surius die 11.  
Ianuarii, cum recensuiſſet decreta huius Concilii, ſic imperatorem  
allocutus eſt: *Aduerſus hoc & ignis accendatur, & enſis acuatur, &  
mors quoque nobis acerbæ aſſeratur: imo vero, ſi fieri poſſit, pro vna innu-  
merabiles: nos vero nunquam prodemus veram religionem, neque ea  
quæ recte placuerunt patribus, ea abrogando, propro aſſicimus.* Extat in  
bibliotheca ſanctorum patrum Leontius Byzantius, qui in opere de  
ſectis hæreticorum, auctoritatem huius Synodi acerriſſe propu-  
gnat. Quamquam ea quæ ſummi pontificis & Conciliorum aucto-  
ritate, & virtute miraculorum eſt corroborata, talibus defenſoribus

Obieſtio.

non indigeat. Si dicas hoc Concilium in fide & moribus aberrariſſe,  
tum quod actione 16. definiat, Romanum pontificem a patribus Ni-  
cæni Concilii primatum habuiſſe, quem iure diuino ſibi conſeſſum  
iam diu ante obtinuerat, & de facto uſurparat: tum etiam, quod il-  
lam a quinta Synodo condemnatam epiſtolam Iba ad Marim Per-  
ſam, qua Cyrillus Alexandrinus arguitur, Theodorus Mopſueſtenus  
cum ſuis ſcriptis laudatur, Concilii patres approbauerint: Reſpondeo

Reſponſio.

nihil præiudicii his omnibus ſacroſancto Concilio generari. Quid-  
quid enim de primatu apoſtolicæ & Conſtantinopolitano decretum  
eſt, abſentibus legatis ſedis pontificiæ conſtitutum fuit: ideoque au-  
thoritate pontificia non tantum reprobatum, verum etiam Conci-  
lii nomine indignum eſt, quidquid eadem actione ſub nomine & præ-  
textu huius Concilii editum & conſtitutum fuit, vt ex præcedenti-  
bus ſufficienter conſtat. Epiſtolam Iba patres Concilii non appro-  
barunt, ſed ex ea tantum diiudicarunt, ſcriptorem eccleſiæ, qui ante  
concordiam Cyrilli Alexandrini cum Ioanne Antiocheno inſitam  
Nestorianæ factioni adhæſerat, vere catholicum eſſe, meritoque  
præcedentibus duobus iudiciis eccleſiaſticis, Tyri & Beryti habi-  
tis, a calumnia aduerſariorum abſolutum fuiſſe. Hoc enim iudicio  
epiſcoporum deciſum eſt, quod in controuerſiam vocabatur; nimi-  
rum, an Ibas Edeſſenus epiſcopus catholice & orthodoxe contra Ne-  
ſtorium de perſona Chriſti ſentiret, adeoque iuſto iudicio Tyri &  
Beryti calumnia aduerſariorum abſolutus eſſet: de epiſtola nulla  
fuit controuerſia, eaque non aliter in iudicium adducta fuit, quam  
vt inde agnoſceretur, Ibaſne poſt inſitam concordiam inter Cyril-  
lum & Ioannem Antiochenum catholicus, an Neſtorianus eſſet.  
Summam itaque iniuriam irrogant Concilio ſanctiſſimo, qui epi-  
ſtolam hæreticam, hæreticorum laudes, orthodoxorum calumnias  
continentem, iuſtoque iudicio quintæ Synodi vniuerſalis cõdemna-  
tam, a patribus huius Concilii receptam & approbatam fuiſſe cum  
Nestorianis in vulgus emittunt. Vide quæ diximus hac de re ſupra

An Conci-  
lium Cal-  
chedonenſe  
epiſtolam  
Iba appro-  
bauerit.

ANNO  
CHRISTI  
451.

in notis Concilii Berytensis sub Leone. Item quæ infra notabimus  
quintæ Synodi collect. 8.

*Sexcenti triginta episcopi.* ] Sexcentos triginta episcopos huic sacro Concilio præsentibus fuisse, testantur Marcellinus in chron. Liberatus diaconus in breuiario cap. 13. Photius de septem Conciliis cap. 4. Sanctus Leo epistola 52. ad episcopos Galliarum scribens, in hoc sexcentos ferme fratres coepiscopos congregatos fuisse, item proficitur. Vnde cum in prima actione Concilii trecenti tantum quadraginta quinque episcopi scripti legantur, dimidiam fere partem episcoporum qui interfuerunt, ibidem desiderari certum est. Ex horum numero pontificiæ legationis munere, vt ex epistola Leonis ad Synodum Calchedonensem constat, functi sunt Paschafinus Lilybæi in Sicilia episcopus, Lucentius Aseulanus antistes, Bonifacius & Basilianus sanctæ Romanæ ecclesiæ præbyteri cardinales. Iulianum Conensem episcopum, in oriente res ecclesiæ agere solitum, pontifex voluit in hac eadem Synodo legati munera obire, vt ex subscriptionibus synodalibus actionis primæ, & Leonis epistola liquet. Ex Africana ecclesia, licet Vandalica persecutione assidue vexaretur, adfuerunt Aurelius Adrumetinus, & Rusticus. Adfuerunt etiam hostes catholicæ fidei, qui simul conspirant contra Flavianum, Dioscorus Alexandrinus, & Iuuenalis Hierosolymitanus, Domnus Antiochenus, qui iam priuatus, & qui eius loco suffectus fuit Maximus: itemque in locum sancti Flauiani subrogatus Anatolius Constantinopolitanus, a sancto Leone catholicæ ecclesiæ iam ante reconciliatus. Nestorium hæresiarcham ex subscriptione alterius episcopi eodem nomine appellati, interfuisse, apud Euagrium lib. 2. cap. 2. scribit Zacharias rhetor: sed merito ab Euagrione reprehenditur, cum is cuius nomen subscriptum habetur, Phanagoræ ciuitatis episcopus, adeoque ab illo hæresiarcha longe alius fuerit. Marcianum imperatorem vna cum Pulcheria Augusta, aliisque imperii magistratibus, præsentem fuisse, ipsa acta Concilii loquuntur. Horum omnium confessus ita dispositus fuit. Imperator cum Pulcheria Augusta, magistratibus, senatoribus & iudicibus cognitoribus, sedem habuit ante cancellos. Ex patribus Concilii inter apsidem & cancellos constituti, legati sedis apostolicæ, & post eos Anatolius Constantinopolitanus, Antiochenus, aliique deinceps episcopi sederunt a læua parte: Dioscorus autem Alexandrinus, & post eum Iuuenalis Hierosolymitanus, aliique a dextra. In medio ipsorum super thronum sacrosancta euangelia collocata fuere. Et quia læua, quod supra in notis Concilii Nicæni, verbis, *trecentorum octodecim*, dixi, dignior est dextera: vel quia Christum Dominum nostrum, qui est summus pontifex (cuius typum gerebat euangelium super thronum in meditullio collocatum) in synodalem confessum respicientem; a dextris haberent, qui sederent in sinistra: & a sinistris, qui considerent in dextera: hac, inquam, de causa accidit, vt quamquam Dioscorus & Iuuenalis ambo iudicandi adessent, dextrum locum occupare permitti fuerint. De locali enim dispositione in antiquo

Numerus episcoporum.

Legatorum nomina quæ.

Episcopi Africæ.

Dioscorus cum suis affectis interfuit.

Nestorius quis.

Quis confessus Concilii.

Cur legati sedis apostolicæ a læua parte sederint.

Romano ordine hæc leguntur. *Sedebunt ea locali dispositione, ut intrantibus ecclesiam episcopi sint ad sinistram, &c.*

ANNO  
CHRISTE  
451.

Eutyches  
hæresiarcha  
describitur.

¶ *Eutyches.* ] Eutyches monachorum Constantinopoli degentium archimandrita fuit; contra Nestorianam hæresim in Concilio Ephesino ceteris præstantius dimicauit, tanto cum zelo, ut eam ob rem a Leone epistola sexta & actione quarta Concilii Constantinopolitani sub Leone celebrati, laudari meruerit. Sed cum imprudenter prædictam hæresim impugnaret, eo profiliit, ut non modo duas personas, sed etiam duas naturas in Christo Domino negaret, diceretque eos omnino Nestoriana hæresi infectos esse, qui in Christo vnam personam, duas vero naturas indiuisæ & inconfuse coniunctas profiterentur. Hæc ille multis annis secreto docuerat, missisque ad aliorum monasteriorum monachos & abbates hac de re scriptis libellis & voluminibus, quorumdam subscriptionem & approbationem impetrauit. Denuntiatus hanc ob rem ab Eusebio Dorylæi episcopo, in Constantinopolitano Concilio condemnatus, scriptis ad pontificem appellationum libellis, quibus se catholicum simulabat, in Conciliabulo Ephesino, quod per Chrysofthum importunis precibus apud imperatorem extorserat, nullo iuris & æquitatis ordine seruato, ille absolutus, contra Flavianus in exilium ablegatus fuit, ut supra in notis prædictorum duorum Conciliorum prolixius enarraui. Postquam hoc sacrosancto Concilio acta Ephesini Conciliabuli rescissa essent, meritamque damnationis sententiam iterato iudicio accepisset, ut e monasterio Constantinopolitano, vbi cum periculo fidelium agebat, longius relegaretur, a sancto Leone duabus epistolis ad Pulcheriam 45. & ad Marcianum 70. scriptis petitum fuisse constat: sed ad quem locum, quoque successu & euentu exularit, non liquet. Hæc ex Liberati diaconi breuiario cap. 11. & ex actis Concilii Constantinopolitani, & Conciliabuli Ephesini actione prima, in Calchedonenfi Concilio extantibus. Vide notas prædicti Concilii.

Dioscorus  
Alexandri-  
nus descri-  
bitur.

¶ *Dioscori.* ] Post obitum Cyrilli magni & sanctissimi præsulis Alexandrini, Dioscorus Nestorium hac in re imitatus, superinducta admirandæ sanctitatis larua, vacantis ecclesiæ Alexandrinæ sedem est adeptus. Speciem humilitatis & modestiæ præ se ferens, intus superbiam cum summa arrogantia occultauit, voluitque videri sanctissimus, qui facinorosissimus erat, quique actione tertia huius Concilii de Origenistarum & Arianorum hæresi, de homicidio, incendio, vitæque turpissima est conuictus. Ad vniuersum populum sibi conciliandum, *simulac in thronum euectus est*, (inquit Liberatus diaconus in breuiario) *opprimens Cyrilli heredes, & per calumnias multas ab eis auferens pecunias, pistoribus & cauponibus ciuitatis dedit, ut mundissimum panem, & preciosissimum vinum viliori precio populo exhiberent.* Clericos Cyrillo cariores absque causa ab ordine deponere tentauit. Nepotes eiusdem mire afflictatos per Nomum consulem Alexandria expulit. Athanasium quoque Cyrilli ex sorore nepotem presbyterio priuauit, nullaque præuia accusatione ab ecclesiastico colle-

ANNO  
CHRISTI  
451.

gio alienum fecit. Prædatorio illi Ephesino Conciliabulo, seu potius latrocinio, quanta cum turpitudine præfederit, ipsa acta loquuntur. Hoc Concilio homicida sacrilegus iusto iudicio condemnatus, postquam excommunicando summum pontificem scelus inauditum attentasset, in Gangram Paphlagoniæ ciuitatem relegatus est, illucque manu militari perductus, ibidem paulo post mortuus est. Hæc ex actis Concilii Ephesini, Calchedonensi, breuiario Liberati, Euario, Baronio, &c. Plura dicemus infra.

<sup>b</sup> *Condemnarunt, &c.*] Id qua ratione, quoque ordine iuris ac rerum gestum sit, tredecim sessionibus, septemdecim actiones continentibus, summam recensebo. Vnius sessionis nomine appello actiones plures vno eodemque die habitas.

Sessionis nomine quid intellegendum.

SESSIO I.

**P** R I M A sessione VIII. Idus Octobris, anno 451. celebrata, episcoporum sedibus, eo quo supra diximus ordine, ante cancellos in secretario dispositis, Dioscorus Alexandrinus per legatos pontificis denuntiatus, ideo quod sine auctoritate & consensu pontificis vniuersale Concilium congregasset, eique contra omnem antiquitatem & consuetudinem præfedisset, decreto Concilii e patrum consensu amotus, velut reus diiudicandus, iussus est in medio sedere. Quo factò, Eusebius Dorylæi episcopus, in medium velut accusator progressus, ad acta pseudosynodi Ephesinæ prouocauit. Post lectum libellum, Dioscorus, vt sui iudicium declinaret, de fide primum agendum esse contendit: sed interlocutione iudicum ipsa acta Ephesini Conciliabuli ante omnia iussa sunt legi. Quæ dum legerentur, delictum suum excusans & attenuans, dixit, non sua solius auctoritate, sed & Iuuenalis Hierosolymitani, Thalassii Cæsarensis episcopi, aliorumque omnium præsentium subscriptione prædicta acta confirmata esse. Contra episcopi fere omnes dixerunt, voluntarie & citra vim adhibitam neminem subscripsisse: vim per milites fustibus, gladiis & minis exilii Flauiano, aliisque pluribus illatam deinceps exposuerunt; addentes, acta a notariis Dioscori corrupta esse atque deprauata: Eutychem in ea quam obtulerat, confessione fidei, incarnatum quidem Christum profiteri, sed non ex Maria virgine. Quæ cum dixissent, tandem sui erroris atque peccati veniam deprecari fuerunt.

Sessione 1. quid sit gestum.

Ab absoluta lectione actorum Ephesini Concilii, producta sunt acta Concilii Constantinopolitani, ex quibus legati sedis apostolicæ probauerunt Flauianum vere catholicum esse, Eutychem autem absque dubitatione vlla impium hæreticum. Dioscorus interlocutus, Flauianum iure damnatum, ideo quod post incarnationem duas naturas distinctas & inconfusas in Christo confiteretur, hæresim suam manifestauit. His adiecta est recitatio actorum de cognitione habita Constantinopoli super fide notariorum. Inde Eutychemis absolutio: & post interposita quædam acta Concilii Ephesini œcumenici, impia sententia a Dioscoro in Flauianum Ephesi pronuntiata, in hoc

patrum confessu lecta fuit. Quibus omnibus exacte cognitis, inter-  
locutione iudicum tractatio de fide in sequentem sessionem dilata  
est. Rogati quid de iudicibus Flauiani statuendum foret, responde-  
runt, omnes Flauiani accusatores & iudices, nominatim vero Dio-  
scorum, Iuuenalem, Thalassium, aliosve, qui cum prædictis princi-  
pem locum in pseudosynodo Ephesina obtinuerunt, ex præscripto  
sacrorum Canonum damnandos esse.

Post hæc pro gratiarum actione & Dei laudum celebratione, sub-  
secuta est sacri trisagii acclamatio, videlicet: *Sanctus Deus, sanctus  
fortis, sanctus & immortalis*: additumque, *multos annos imperatori*:  
& denique plurima in Dioscorum dicta fuerunt.

## SESSIO II.

Sessionis 2.  
res gestæ.

SECUNDA sessio celebrata est sexto Idus Octobris, anno 451. in  
qua habita est a patribus tractatio de fide, hoc ordine. Primo le-  
ctum est sacrum Nicæni Concilii symbolum: secundum illud cum  
veteribus patribus sensisse Cyrillum & sanctum Leonem, omnes conte-  
stati fuerunt. Recitatum est deinde ex scripto symbolum Constanti-  
nopolitani Concilii œcumenici. Postea vero duæ sancti Cyrilli epi-  
stolæ: quarum alteram ad Nestorium, alteram ad Ioannem Antio-  
chenum dederat. Insuper magna illa sancti Leonis epistola 10. de verbi  
incarnatione ad Flavianum scripta, publice recitari iussa est. Denique  
refutatis illis, quæ ab episcopis Palæstinæ & Illyrici obiecta fuerunt,  
acclamatum est ab omnibus: *Hæc patrum fides: hæc apostolorum fides.*  
*Omnes ita credimus, orthodoxi ita credimus: anathema qui non ita cre-  
dit. Petrus per Leonem ita locutus est. &c.*

## SESSIO III.

Sessionis 3.  
brevis e-  
narratio.

TERTIO Idus Octobris prædicti anni ad tertiam sessionem con-  
ueniunt episcopi tantummodo ( quæ est manifestissima nota  
œcumenici Concilii ) absque magistratibus sæcularibus, eo quod  
tractanda esset Dioscori damnatio, cui præter episcopos, secundum  
Canones nemini aliorum iudicum sæcularium aut laicorum interesse  
licebat. Cum ad hanc sessionem Dioscorus, qui a militibus domi cu-  
stodiebatur ne fugam arriperet, secundo citatus, propter absentiam  
iudicum, & prætenfam quamdam ægritudinem, comparere recufas-  
set, lecti sunt libelli accusationum, quos Theodorus & Ischyrius A-  
lexandrinæ ecclesiæ diaconi, Athanasius eiusdem ecclesiæ presby-  
ter, & Sophronius Alexandrinæ ciuitatis Christianus, contra Dio-  
scorum obtulerunt. Primo libello accusabatur, quod esset Origenista  
hæreticus, blasphemus in sanctam Trinitatem, homicida Flauiani,  
incendiarius, iniustus & temerarius, vtpote qui Theodorum dia-  
conum nulla alia de causa a diaconatu amouisset, nisi quod sancti  
Cyrilli episcopi amicus fuisset: quod post hominum memoriam pri-  
mus Romanum pontificem excommunicando, scelus inauditum  
commisisset. Secundus libellus Ischyrius post confirmata prædicta  
scelera continebat, quod frumentum ad conficiendam sacram eu-

ANNO  
CHRISTI  
411

charistiam, & solatium peregrinorum ab imperatore ecclesiis Libya  
dari solitum, surripuisset; adeo vt eam ob causam incruentum sa-  
crificium Missæ diu oblatum non fuerit. Adiecit, quod ea bona quæ  
Peristeria nobilissima femina per testamentum monasteriis & pau-  
peribus contulisset eo fine, vt pro salute animæ suæ sacrificium Deo  
offerretur, ille scortis & turpibus personis in eleemosynam contule-  
rit, vt ne quidem ex bonis illius (quod vetus & recepta consuetudo  
orandi pro defunctis, tunc merito impiissimum esse iudicabat) *in-  
censum Deo pro eius anima obtulerit*. De vita ipsius valde obscœna plu-  
rima addidit, vt quod subintroductas feminas haberet in episcopio,  
quibuscum in balneo lauaretur; & quod inter alias Panfophiam  
quamdam famosissimam magno omnium Alexandrinorum scandalo  
in deliciis haberet. Postremo quod non satis ei fuerit, Theodorum  
diaconum ob amicitiam cum sancto Cyrillo habitam diaconatus  
officio priuasse; verum etiam possessiones eiusdem per monachos a  
se missos incenderit, arbores exciderit, iussusque occidi Theodo-  
rus, vix fugiens euaserit. Tertio libello Athanasius presbyter Cyril-  
li Alexandrini, se cum fratribus & cognatis vrbe eiectum, omnibus  
bonis ac fortunis spoliatum, tormentis Chrysaphii subiectum, ad  
summam paupertatem adactum esse, vt mendicando victum quære-  
re debuerit. Fratrem inter tormenta expirasse, sibi presbyterium ad-  
emptum esse; & ne vestigium vllum Alexandria superesset, domos  
suas in ecclesias conuersas esse. Quarto libello Sophronii, tyrannidis  
est accusatus: vtpote qui pœnam adulteri cuiusdam, quem impera-  
tor puniri rescripserat, impediuerit, dicens Ægyptum magis ad se  
quam ad imperatorem pertinere: ideoque etiam allatas Alexan-  
driam noui imperatoris Marciani imagines per suos vrbe efferri  
mandauerit. His visis, ne qua solennitas requisita deesset, placuit pa-  
tribus, vt Dioscorus adhuc tertio vocaretur per scriptum citationis  
libellum, qui prætenas illius excusationes falsas esse demonstrabat.  
Legitime igitur tertio citatus, vt libellis Alexandrinorum contra  
se oblati respondeat, contumax in proposito persistit, & adesse  
recusauit. Cum igitur nihil reliquum esset ad eius defensionem vel  
excusationem, ipsi apostolicæ sedis legati aduersus Dioscorum  
damnationis, & ab episcopatu, omnique ecclesiastica functione de-  
positionis sententiam protulerunt. Singuli vero episcopi, singulis  
sententiis impium Dioscorum perstringentes, eidem subscripserunt.  
Latam sententiam ipsi Dioscoro insinuarunt, perque synodicas epi-  
stolas ad imperatores, Pulcheriam Augustam, & ad clerum Alexan-  
drinum scriptas, eamdem vbique promulgarunt.

SESSIO IV.

**Q**UARTA sessione 16. Kalendas Nouembres celebrata, episco-  
pis Synodi cum magistratibus & iudicibus cognitoribus in  
vnum conuenientibus, proposita est causa Iuuenalis Hierosolymita-  
ni, Thalassii Cæsarensis, Eusebii Ancyræ, Eustathii, Beryti, & Ba-  
silius Seleuciæ, episcoporum, qui cum Dioscoro improbo Ephesino

Quartæ  
sessionis  
compen-  
diosa nar-  
ratio.

conuentui praeferant. Petebant ad communionem ecclesiae, & simul ad Synodum recipi, qui cum Dioscuro ob eadem patrata scelera sessione i. damnati fuerant. Qui cum decreto synodali interposito paruissent, Nicæno atque Constantinopolitano symbolo, nec non epistolæ sancti Leonis papæ decimæ, de verbi incarnatione ad Flavianum transmissæ, subscripsissent, contrarium sentientibus ac doctibus anathema dixissent, ad communionem ecclesiae, & simul etiam ad ingressum Synodi admissi fuerunt. Post hæc Ægyptii episcopi cum libello fidei, quem imperatori obtulerunt, ingressi, iussu legatorum apostolicæ sedis in Eutychem anathema dixerunt: ne autem epistolæ Leonis, antequam nouus Alexandrinus antistes eligeretur, subscriberent, precibus suis impetrarunt, cautione adhibita, quod Calchedone non prius sint abituri, quam in locum Dioscuro alius Alexandrinus episcopus subrogatus fuerit. Post hæc iuxta relationem exemplarium Latinorum (Græci enim, quibus hæc de re minor est adhibenda fides, ante quartam actionem hæc contigisse referunt.) Carosus, Dorotheus & Barsumas archimandritæ Eutychemi adhærescentes, ad Synodum intromissi libellum obtulerunt; in quo cum more Eutychemi & Dioscuro, sub mentito pallio Nicænæ fidei, catholicos se iactarent, & tamen pro Dioscuro supplices preces haberent, concessa est illis dilatio trium dierum ad resipiscendum, & catholicæ fidei aduersus Eutychemi subscribendum. Archimandritæ catholici contra eius perfidiam libellum obtulerunt, qui omnium iudicio vt catholicus & orthodoxus approbatus fuit.

SESSIO V. quam Latinus codex antiqua versionis non habet.

Quintæ  
Sessionis  
succincta  
& breuis  
enarratio.  
Actio prior  
sessionis 5.

**D**ECIMOTERTIO Kalendas Nouembres anni 451. habita est sessio quinta duabus actionibus, vno eodemque die transacta. Priore actione Carosus, Dorotheus, alique archimandritæ illi qui libellum Marciano imperatori obtulerant, petiuerunt sibi concedi, vt coram imperatore de fidei veritate cum catholicis disputare liceat. Id quod hæreticis piissime respondit imperator, Alexander visitator & Ioannes decurio in Synodo retulerunt his verbis: *Hæc cum audiisset dominus orbis ( Marcianus imperator ) significauit per me & dominum Ioannem decurionem: si voluissim ego sedere inter vos atque alios monachos, & audire inter vtrosque vos, non hic sanctam & vniuersalem Synodum fatigassem: sed cum ipsi conuenissent, & nos de vobis certiores fecissent, dixi, vt vos adessetis, & ea qua nescitis cognosceretis, & interrogando ea qua non nostis, addisceretis ab iis. Iustum igitur decreuimus, vos ad Concilium abire. Nam, vt sciatis, quacumque defuerit sanctum & vniuersale Concilium, ac mihi in scriptis dederit, ea sequor, his contentus sum, his fidem habeo. Hoc habete, nec a me aliud responsum accipitis.*

His enarratis, magno præconio imperatori acclamatum est. Hæreticis vero ad resipiscendum datæ sunt induciæ vsque ad decimam quintam Nouembris.

Poste-

ANNO  
CHRISTI  
431.

Actio po-  
terior ses-  
sionis 4.

Posterior actio huius sessionis quintæ, controuersia illius quæ inter Photium Tyri, & Eustathium Beryti episcopum, de iure metropolis primæ Phœnicia exorta fuit, tractationem continet. Controuersia talis erat. Antiquitus secundum veterem prouinciarum distinctionem per Canones factam, Tyria ecclesia iure metropolitano præerat primæ Phœnicia. Accidit ut imperator pragmatica sanctione aliam fecerit eius prouincia diuisionem, ex qua complures ciuitates, quæ subiacebant Tyria, sub Beryti ecclesia ponerentur: nempe Byblos, Borys, Tripolis, Orthosias, Arias & Antaradon. Huic autem diuisioni cum Photius non acquieuisset, habito ea de re iudicio Constantinopoli coram Anatolio Constantinopolitano aliisque cum eo residentibus episcopis, excommunicatus fuit: neque prius absolui potuit, quam decreto synodali de aucto iure Berytensis ecclesie super nominatas ecclesias subscripsisset. Cum autem Photius ad hanc Synodum Calchedone congregatam uenisset, Marciano imperatori per supplicem libellum oblatum conquestus est de iure antiquo suæ metropolis diminuto, ciuitatibusque quibusdam ab Eustathio uendicatis. Imperator accepto libello causam illam sanctæ Synodo diiudicandam tradidit, sicque prædicta die 13. Kalendas Nouembres coram sacro patrum conuentu producta fuit. Principio rogabat Photius, causam, prout mandauerat imperator, a Synodo audiri, suumque libellum imperatori oblatum, in confesſu patrum recitari. Sed ne fieret libelli lectio, Eustathius obiecit, id non esse faciendum ante absolutam illam de fide tractationem, cuius causa omnes ad Synodum congregati & conuocati essent. Iudices autem interlocuti, libellum legi mandarunt. Ex quo cum Photii de usurpatis ab Eustathio Tyria metropolis ciuitatibus, deque consensu per vim & metum extorto, querelas audissent, institit Photius, ut secundum pristina iura ablata ciuitates suæ ecclesie Tyria redderentur.

*Iussus autem a iudicibus cognitoribus ad hac respondere Eustathius, rogauit idem eos, num secundum Canones ecclesiasticos, an uero secundum leges imperatoris causa dirimenda esset. Tunc iidem interlocuti iudices ista dixerunt: Sacratissimo domino orbis placuit, non iuxta sacras imperatoris literas & pragmaticos typos res sanctissimorum episcoporum procedere, sed secundum Canones a sanctis patribus datos. Omnis igitur cessante e sacris pragmaticis definitione, Canones de hoc capitulo editti legantur. Et inferius iidem patres conuersi: Dicat, inquit, sancta Synodus, utrum ei placeat ex regulis patrum huius causa questionem examinari, an ex sacris pragmaticis, de quibus ea quæ sacro apici uisa sunt, iam omnibus aperta fecimus. Sancta Synodus dixit: Contra Canones nihil pragmaticum ualebit. Regula patrum teneant. Gloriosissimi iudices dixerunt: Nunc tempus est, edoceri nos a sancta Synodo, an liceat ex sacro pragmatico, aliena ecclesia iura ab aliis episcopis auerti. Sancta Synodus dixit: Non licet hoc: est præter regulas. His dictis, iussus est Photius docere Synodum de usurpatis ab Eustathio ecclesiis Tyria metropolis. Quo facto petiit idem Photius a S. Synodo irrita reddi, quæ ab Anatolio & aliis*

Fragmen-  
tum ses-  
sionis 4.

episcopis haud pridem contra eandem metropolim ex lege imperatoris Constantinopoli definita fuissent. Ad hæc Eustathius se excusans dixit, non a se inuasa iura Tyriæ ecclesiæ, sed factum esse lege imperatoris; consuetudinisque esse, imperatores metropoles facere. At tamen sancta Synodus definiuit, nullam esse debere sententiam, aduersus Photium absentem pronuntiatam. Rursum a Photio peti- tum, in suas ecclesias esse restituendos episcopos a se ordinatos, ab Eustathio autem episcopatu eiectos, & inter presbyteros annumeratos. Antequam autem de his sancta Synodus aliquid definiret, iussere iudices cognitores legi sacrum Canonem. Lectusque est Canon quartus magni Nicæni Concilii, quo iubetur vniuscuiusque prouincia esse debere vnum metropolitanum episcopum. Lecto itaque Canone, & Eustathio respondente, licere imperatori iubere quod vellet; iudices cognitores de his sanctæ Synodi iudicium ita interpellarunt: *Sanctæ Synodus quid sibi videatur, doceat: utrum placeat secundum Canonem trecentorum decem & octo patrum, vnum metropolitanum episcopum esse, qui in ordinationibus reuerendissimorum in vnaquaque prouincia ciuitate episcoporum potestatem habeat, an duos; ita ut liceat separatim in ciuitatibus ordinationes facere. Sanctæ Synodus dixit: Vnum iuxta regulas sanctorum patrum postulamus esse metropolitanum. Petimus ut regula sanctorum patrum teneat. Atticus reuerendissimus episcopus Nicopolis ciuitatis Epiri dixit: Trecentorum decem & octo patrum regula vnum vult metropolitanum in vnaquaque prouincia episcopum esse. Et supplicamus ut nunc etiam virtus Canonum in quoslibet & in omnes prouincias valeat, cessantibus omnibus qua ex concursatione & ambitione pragmaticorum fiunt, qua & euertunt ea qua spiritualiter & secundum Deum a sanctis patribus sancita sunt. Hæc Atticus. His omnibus auditis atque exacte percognitis, iudices cognitores definita a sanctis patribus probauere, atque sua ipsorum sententia firmare, ita interlocuti: *Iuxta regulas trecentorum decem & octo patrum, & iuxta sententiam totius sanctæ Synodi, Photius reuerendissimus episcopus totius Tyrriorum metropolis omnem potestatem ordinandi in vniuersis ciuitatibus primæ Phœnicæ prouincie habeat. Eustathius reuerendissimus episcopus a sacro pragmatico typo nihil amplius sibi vendicet, quam reliqui episcopi eiusdem prouincie. At an his consentiat sancta Synodus, doceat. Sancta Synodus exclamauit: Hoc iustum iudicium: hæc iusta sententia. Multos annos imperatorum: multos annos Augusta: multos annos iudicium. Restitutis ex sententia totius œcumenicæ Synodi episcopis in diuersis ciuitatibus a Photio ordinatis, reductis vero in ordinem presbyterorum ab Eustathio promotis, improboque per apostolicæ sedis legatos & alios vsu illo, ut qui ab episcopatu deponerentur, sinerentur presbyteri ministrare: mox eiusmodi ad iudices & ad S. Synodum facta est suggestio a Cecropio episcopo Sebastopolis: *Ne potestas vestra accusationem & querimonias a quacumque persona accipiat & satgetur, neve nos conteramur: petimus ut sine contradictione cessent ea pragmatica, qua in detrimentum Canonum a quibusdam facta sunt in omni prouincia: Canones vero per omnia teneant. sic enim & fides custodiuntur, & vna-***

ANNO CHRISTI 451  
 quaque ecclesia tutum statum habebit. Ac ne liceat præter Canones ordinare. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices dixerunt: Si tota sanctissima Synodus consentit petitioni Cecropii reuerendissimi episcopi, doceat. Sancta Synodus acclamauit: Omnes eadem dicimus: Vniuersa pragmatica cessabunt: Canones teneant, & hoc a vobis fiat. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices dixerunt: Ex sententia sanctæ Synodi in aliis quoque omnibus provinciis teneant. His stabilitis, secuta est ex more facta totius Synodi acclamatio. Iusseruntque iudices, vt quæ definita essent; effectui mandarentur.

SESSIO VI. quæ in codice Latino per errorem collectoris quinta actio nominatur.

SEXTA sessio habita est 11. Kal. Nouembres. Fidei catholicæ definitio, quam recitauit quidam Constantinopolitanæ ecclesiæ diaconus, explosa est, actusque inserti: non quod non esset catholica, sed quod ad coarguendas & damnandas hæreses Eutyche-  
Sessiois sextæ summa breuis.  
 tis non sufficeret: Leonis sententia contra Dioscorum de incarnatione Christi, secundo iudicio per acclamationem omnium patrum est approbata; ideo quod Anatolius Constantinopolitanus episcopus memor adhuc sui Dioscori, cuius fuerat apocristarius, temerarie effutiuiisset, Dioscorum non propter fidem, sed ob excommunicationem in Romanum pontificem temere pronuntiatam, damnatum esse. Quibus ita peractis, ad destructionem Eutychie hæreseos edita est definitio fidei, cuius exordium est: Dominus noster & saluator, &c. De qua obseruatum necessarium est, quod in Græcis exemplaribus sub vna tantum definitione recte comprehendantur, quæ in Latina editione priore per errorem collectoris ponuntur sub titulo duarum definitionum, ab illis scilicet verbis: Sufficeret quidem ad plenam cognitionem, &c. quæ sequuntur. Quæ in Græcis exemplaribus recte & conformiter ipsis actis, nullo interposito alio titulo, vno filo sermonis cum præcedentibus continuantur. Deleantur igitur & expungantur ex Latina editione antiqua inter initium & finem definitionis collata verba hæc:

Alia definitio Calchedonensis Synodi similiter sub quadruplici editione. Comprehendens eorum quæ in Conciliis, Nicæno primo, Constantinopolitano primo, Ephesino primo, decreta sunt, approbationem, & duarum creaturarum in vna Christi persona assertionem.

Hæc est illa fidei definitio, quam vna cum professione fidei hæretica, ad probandum vtra verior esset, per inuocationem sanctæ Euphemie confirmatam esse diximus supra verbo, approbatum.

SESSIO VII. quæ in Latinis exemplaribus sexta actio mendose nominatur.

OCTAVO Kal. Nouembr. ipso natali gloriosissimæ virginis & martyris, in cuius basilica conueniebatur, habita est septima  
Sessiois septimæ summa breuis.  
 sessio, siue actio nona. Ob dici celebritatem, Marcianus imperator, Concil. Tom. 9.

& Pulcheria Augusta, vna cum magistratibus interesse solitis, præsto fuerunt. Marcianum imperatorem Latine primum, & subinde Græco sermone perorantem, patres Concilii per ingeminatas acclamationes immensis laudibus sunt profecuti. Lecta deinde, & per subscriptionem omnium episcoporum approbata est illa definitio fidei, quæ superiore sessione conscripta fuit. Sanctionem pœnalem tulit imperator contra eos, qui aduersus hanc definitionem fidei disputantes, turbas aut tumultum concitauerint. Rogatu eiusdem imperatoris tria decreta ediderunt. Primum, ne monachi absque consensu episcoporum monasteria ædificent: ab episcopali obedientia & subiectione non eximantur, neve inuito domino seruum adscriptitium in monasterium assumant: degentes in monasterio reipublicæ negotia non curent, sed orationibus tantum & ieiuniis vacent. Secundo ad cohibenda vitia & inconstantiam clericorum extra suas ecclesias, in quibus ordinati sunt, vagantium, decretum est, ne quis alienum clericum suscipiat. Tertio constitutum fuit, vt ad honorem sanctæ martyris Euphemiæ ciuitas Calchedonenfis citra præiudicium Nicomediæ, nomine tenus dignitatem metropolis habeat. Quibus constitutis, patres quidem abitum & discessionem concedi petiuerunt: sed rogauit imperator, vt adhuc tres vel quatuor dies expectarent.

SESSIO VIII. *comprehendens Latinæ editionis*  
act. 3. 7. 8. & 9.

Sessio octaua summata enarratio.

Phœnicia metropolis quæ.

Theodoretus absolutus.

AD diuersarum ecclesiarum controuersias dirimendas 7. Kal. Nouembris ad Synodum conuenerunt episcopi, eaque sessione tres actiones sub vno die absoluerunt. Harum prima, controuersia inter Antiochenum & Hierosolymitanum episcopos, de iure metropoleos agitata, composita est. Sedi Antiochenæ Phœnicia atque Arabia adiudicatæ sunt. Hierosolymitano vero episcopo, in quem ius metropolis Palæstinæ, quod ante Cæsareensis ecclesia habebat, translatum erat, datæ sunt tres Palæstinæ. Secunda actio de Theodoro Cyri episcopo actum est. Hic cum a Dioscoro in conuenticulo Ephesino depositus, & tamquam si Nestorianus esset, exulare coactus fuisset, apud Romanum pontificem, aliosque orientis episcopos hac de re diu multumque conquestus, se vere catholicum esse plurimis literis significauit. Sed cum patres Concilii Ephesini ecumenici ipsum acerrimum scriptorum S. Cyrilli impugnatores experti essent, epistolis Theodoro fidem nullam adhibuerunt, sed potius in hoc confesso insisterunt, vt anathema Nestorio diceret. Quod cum ille non grauate secunda iam vice præstitisset, omnium gratiam sibi conciliauit, eademque omnium sententia in pristinam sedem est restitutus: quem iam ante sanctus Leo post dictum anathema Nestorio in communionem ecclesiæ susceperat. Cum hoc iudicium Synodi Eutychni post aliquot lustra annorum infringere conarentur, Vigilius pontifex sententiam episcoporum scriptis Theodoro conuenientem confirmauit. Tertia actio pronuntiatum

ANNO  
CHRISTI  
451.

fuit, Ibam Edessenum episcopum a calumniis aduersariorum suorum duobus Conciliis Tyri & Beryti habitis recte absolutum, male vero Ephesino Conciliabulo condemnatum, & episcopatu amotum fuisse. Inquisitio de Nonno episcopo in locum Ibae subrogato commissa est Maximo Antiocheno episcopo. Hæc non tantum in actis Concilii, sed etiam apud Liberatum diaconum in breuiario cap. 13. recensentur.

Ibae absolutio confirmatur.

SESSIO IX. quam Latinus codex actionem nonam appellat male: quia numerus actionum, sessionum numerum excedit, & sub una sessione quandoque plures actiones habitæ reperiuntur.

SESSIO nona habita est sexto Kalendas Nouembris, in qua absoluta est causa Ibae, de qua supra egimus. Sed & eadem sessione, inquit Liberatus cap. 13. id etiam inuenitur esse decretum, ut quod sub Dioscuro in Epheso congregatum est Concilium, nomen Concilii minime obtineret, sed & ut peteretur ab imperatore, ut de hoc ipse legem sanciret. Hac eadem sessione, eodemque die, nimirum sexto Kalendas Nouembris, habita legitur actio de Domno Antiocheno episcopo, qua ad petitionem Maximi Antiocheni præfulis auctoritate pontificia in sede confirmati, concessum est, ut Domno per iustam sententiam Dioscorigi a Leone approbatam exauctorato, ex Antiochenæ ecclesiæ redditibus alimenta præstentur. Hæc actio in Græco codice desideratur. Quinetiam tempore Iustiniani imperatoris eadem actione Græca exemplaria caruisse, colligitur ex quadam nouella constitutione eiusdem imperatoris ad Ioannem Romanum pontificem data, quæ extat infra sub hoc initio. *Scientes quod nihil aliud hic potest, &c.* Quæ constitutione non dixisset imperator Domnum Antiochenum a sancta Synodo Calchedonensi post mortem damnatum fuisse, si hanc actionem, qua ipsi ad instantiam Maximi alimenta decernuntur, in codice Græco legisset. Vetus Latina editio hanc actionem non suo loco, sed sub actione septima exhibet, quæ ad sessionem nonam referri debebat. In Latino vetere scripto codice Vaticano, qui Proculi & Albini fuisse dicitur, inquit Baronijs, sub nona actione reponitur, & sub eadem die, nempe sub sexto Kalendarum eiusdem mensis Nouembris: sed dicenda potius sessio nona, quam actio nona. Actionum enim numerus excedit numerum sessionum, quod, ut dictum est, sub una sessione interdum plures actiones habitæ reperiuntur.

Actio sessionis nonæ summam recensita.

SESSIO X. quæ extat in Latino codice act. 11.

DECIMA sessio habita est quarto Kalendas Nouembris, qua tractata est controuersia inter Basilianum e sede Ephesina depositum, & Stephanum in eius locum subrogatum. Sed cum illi mutuis se criminationibus lacerarent, in sequentem sessionem res est dilata.

Sessionis 10. acta.

Sessio 11.  
compēdiosa  
narratio.

**C**VM patres tertio Kalendas Nouembres conuenissent, in prædicta controuersia sessionis decimæ definitum est, vt neuter prædictorum duorum esset Ephesinæ ecclesiæ episcopus, sed potius alius ordinaretur: ita tamen vt vterque in episcopali dignitate maneret, singulisque eorum ducenti solidi ab Ephesina ecclesia præstarentur. Ad accusationem & depositionem Stephani facta est acclamatio sancto Flauiano martyri, vt pote quod præsto esset, & causam suam indicaret, & in vltionem Stephani, qui potentissimus Dioscori fautor & administer fuerat, pro Synodo oraret. Hac controuersia decisa, agitata est causa Eunomii Nicomedienfis episcopi cum Anastasio Nicæno. Licet enim rescripto imperatorum Valentiniani & Valentis, Nicæna ecclesia dignitatem metropolis consecuta fuerit, tamen hæc sacrosancta Synodus definiuit, eam episcopo Nicomedie subesse debere.

## SESSIO XII. actionem 14. &amp; 15. comprehendens.

Sessio 12.  
summaria  
narratio.

**P**RIDIE Kalendas Nouembris habita est duodecima sessio, in qua Antiocheni Concilii sententia de Sabiniano in ecclesiam Parenorum (qua fuerat a Dioscoro spoliatus) restituta, & Athanasio, qui fuerat in locum eius suffectus, amoto, est confirmata; concessa ei facultate, vt si quæ iura aduersus Sabinianum haberet, ea infra spatium octo mensium apud Maximum Antiochenum prosequeretur. Hac causa absoluta finitum erat Concilium, solutisque comitiis, legati sedis apostolicæ cum iudicibus egressi sunt, & abierunt: orientales autem episcopi ad instantiam Anatolii Constantinopolitani clandestine & dolose remanserunt, & triginta Canones actionis decimæ quintæ extantes sanciuerunt. Quorum vno, vigesimo octauo scilicet, hoc constitutum fuit, vt & patriarchalis ecclesia Constantinopolitana sit, & secundum locum inter patriarchales sedes (quod Alexandrinæ iure successionis apostolicæ concessum) Constantinopolitanus episcopus obtineat. Hac ratione se id consecuturum sperabat Anatolius, quod in Concilio œcumenico Constantinopolitano primo a suis antecessoribus quidem tentatum fuit, sed pontificibus Romanis obstantibus, frustra.

Canon de  
primatu  
Constanti-  
nopolitano  
constitutus.

## SESSIO XIII. actionem 16. complectens.

Sessio 13.  
summatim  
recensita.

**I**PSIS Kalendis Nouembris (quod Græca & Latina exemplaria habent, quinto Kalendas Nouembris hanc actionem celebratam fuisse, mendosum est) die nimirum sequente, post actionem decimam quintam, ad instantiam legatorum pontificiorum, omnes episcopi cum iudicibus cognitoribus conuenerunt. Quibus præsentibus legati pontificis dixerunt: *Hesternò die postquam potestas vestra surrexit, & humilitas nostra vestigia secuta est, quadam gesta facta dicuntur, quæ nos præter Canones ecclesiasticos existimamus effecta. Poscimus ergo vt vestra magnificentia reperi hac præcipiat, vt omnis fraterni-*

ANNO CHRISTI 451. *tas inspiciat, utrum iusta an iniusta sunt ea que gesta sunt.* Mandato igitur iudicis decretum præcedentis dici prælectum fuit. Quod cum legati sedis apostolicæ Nicæno Canoni sexto contrarium, Anatolius vero cum suis, Constantinopolitani primi quarto Canoni idem conveniens esse asseruissent, iudicibus Constantinopolitanæ ecclesiæ fauentibus, itum est in sententiam Anatolii. Legati contradixerunt, suamque interpositam hac de re protestationem ad acta referri postularunt. His omnibus absolutis, sancta Synodus nouissimo loco synodicam epistolam ad Leonem pontificem perscripsit, petens ab eo cuncta rata haberi & confirmari, quæ in Concilio gesta fuerunt. Quid vero ad Synodum pontifex rescripserit, quas actiones probarit, quasve improbarit, diximus supra verbo *approbatum*, & in notis epistolæ 55. & aliarum sancti Leonis supra tom. 1.

*Marciano & Adelfio consulibus.*] Hæc ex initio actorum Concilii narrantur his verbis: *In nomine Domini nostri Iesu Christi, consulatu piissimi Marciani, sub die octauo Idus Octobris, indictione quarta.* Idem consulatus Marciani in singularum fere actionum principio reperitur. In fastis emendatioribus annus Christi 451. Leonis duodecimus, Valentiniani vigesimus septimus, & Marciani secundus, cum prædicto consulatu coincidunt. Consulatus igitur Valentiniani septimus, & Auieni, cum æra 488. errore librariorum in titulum actionis primæ irrepererunt. Istitis ergo deletis substituuntur ea quæ de tempore huius Concilii habet inscriptio, in principio præambularium epistolarum collocata.

Quo tempore hoc Concilium habitum fuerit.

Inscriptio Concilii emendata.

NOTÆ IN EPISTOLAS PRÆAMBVLARES.

<sup>a</sup> *Epistola Petri Rauennatis ad Eutychem.*] Responsoria est epistola rescripta ad illam Eutychetis, qua ante initium Conciliabuli Ephesini perditissimus hominum conatus est omnes occidentales episcopos contra Flauianum concitare & impellere. Restituto eius errore, monet, vt encyclicæ illi Leonis epistolæ decimæ de incarnatione Verbi diuini scriptæ, tamquam oraculo Spiritus sancti, plane acquiescat. Scriptorem epistolæ Petrum Chryfologum hoc vel sequente anno, secunda die Decembris, vt produnt tabulæ ecclesiasticæ, ex hac vita migrasse, constat ex epistola Leonis 37. quam anno Domini 451. sub consulatu Marciani ad eius successorem Leonem scripsit.

Argumentū epistolæ a Petro Rauennate ad Eutychem scriptæ.

<sup>b</sup> *Epistola Hilari diaconi.*] Hilarus sanctæ Romæ ecclesiæ diaconus, & magni Leonis pontificis legatus, hanc epistolam de rebus in pseudosynodo Ephesina gestis scripsit ad Pulcheriam Augustam anno Domini 459. paulo post quam fuga elapsus, per inuia loca, perque multa pericula Romam venisset. Dioscorus magno conatu laborabat, vt Hilarum ad subscribendum sententiæ iniustæ contra Flauianum prolata induceret; cum verbis illud efficere non posset, vi adhibita cum vel saltem retinere tentauit, ne pontifici Romano res a se tyrannice gestas nuntiaret. Cognitis insidiis Dioscori, Hilarus ne caperetur per inuia & periculosa loca fugit, votisque

Tempus & occasio epistolæ Hilari diaconi.

Deo per sanctum Ioannem euangelistam nuncupatis, liberationem expetiuit & impetrauit. Factus post obitum sancti Leonis Romanus pontifex, memor beneficii accepti & voti nuncupati, ædiculam crexit Romæ in baptisterio Constantini, ornauitque eam musiuo opere: in cuius superliminari beneficium ab eo acceptum voluit posteris omnibus reddi testatum, his verbis:

LIBERATORI SVO, BEATO IOANNI EVANGELISTÆ,  
HILARVS EPISCOPVS FAMVLVS CHRISTI.

Egregium sane antiquitatis monumentum, quo sceleratorum hæreticorum grassatio in latrocinio Ephesino aduersus catholicæ fidei defensores paucis notis describitur, & nota redditur. Ex aduersa parte eiusdem baptisterii, alteram etiam ædiculam sancti Ioannis baptistæ crexit, quæ hæctenus a piis hominibus magno studio frequentatur: in cuius superliminari hæc leguntur.

HILARVS EPISCOPVS SANCTÆ PLEBI DEI.

In ipsis autem eiusdem ædiculæ vel facelli portis æneis habentur æri deargentato insculpta verba hæc:

IN HONOREM BEATI IOANNIS BAPTISTÆ, HILARVS  
EPISCOPVS DEI FAMVLVS OFFERT.

De fuga Hilari, plura vide apud sanctum Leonem epistola vigesima quinta ad Theodosium, & vigesima sexta ad Pulcheriam scripta. De oratoriis & facellis, vide quæ dicturi sumus infra in notis ad vitam eiusdem Hilari ex Anastasio bibliothecario desumptam: Baronium an. 449. num. 99. & 100.

Tempus & occasio factarum imper.

<sup>c</sup> *Sacra litera.*] Has literas Valentinianus Eudoxiæ coniux, & Galla Placidia mater Valentiniani, ad imperatorem Theodosium in oriente degentem scripserunt eo tempore, quo sanctus Leo pontifex habito Romæ Concilio, Ephesinum Conciliabulum reprobauit circa initium Octobris anni 443. Accidit enim opportune admodum, vt prædictus imperator Valentinianus cum Augusta matre & vxore ad sacra apostolorum limina pie frequentanda venerit illo tempore, quo supra nominatum Concilium habebatur. Cum audissent ea quæ Ephesi per tyrannidem gesta fuerant, exhorruerunt, & ad immane facinus destruendum, singuli singulas literas ad Theodosium in orientem miserunt.

Explicatur locus epist.

<sup>d</sup> *Post venerabilem noctem diei apostoli, &c.*] Quæ ista nox sit, merito dubitatur. De natali die apostoli Petri, qui vbique & semper vigesima nona Iulii celebrari consuevit, hæc intelligi nequeunt, quoniam eo tempore pseudosynodus Ephesina nondum celebrata fuit. Opinor hæc dicta fuisse de die dedicationis eiusdem basilicæ, quæ solita est celebrari decimo nono Nouembris, ad quam omnes episcopi, qui Synodo Romanæ interfuerunt, detenti sunt, ideo, vt responsum Theodosii expectarent: vel etiam, vt in Concilio generali in Italia fortasse cogendo, facile & cito præsentem esse possent.

<sup>e</sup> *Epi-*

ANNO  
CHRISTI  
451.

<sup>c</sup> *Epistola Marciani.*] His literis piissimus imperator de œcumenica Synodo celebranda cum pontifice tractare cœpit. Sciens enim non aliter, quam cum auctoritate Romani pontificis œcumenicas Synodos conuocari debere, per literas eius consensum impetrauit; & paulo post hisce sacris ad omnes episcopos transmissis, primo Nicæam, & paulo post propter barbarorum incurfiones, Calchedonem eisdem conuocauit. Vide quæ diximus supra in verbo *Concilium*.

Hæc epistola de conuocanda Synodo actum est apud pontificem.

<sup>e</sup> *Intentio nostra tranquillitatis est.*] Cum promulgatum esset ab imperatore Marciano edictum de vniuersali Concilio Nicææ celebrando, turbas, contentiones atque tumultus in populo excitari contigit. Quæ cum imperator sub pœna capitis prohibuisset, accidebat quod plures monachi, clerici & laici diuersorum fauoribus in diuersa commoti, Nicæam se conferrent, atque adeo metum seditionis nouæ Augustis imperatoribus incuterent. Ad hoc periculum tumultus auferendum, sancta Pulcheria Augusta has literas ad Straregium consularem Bithyniæ dedit, mandans illi, vt omnes omnino isthic non vocatos ab aditu vrbs & Concilii repellat.

Epistola Pulcheriæ cur scripta.

NOTÆ actionis I.

<sup>b</sup> *Ex laua quidem parte sedentibus.*] De ratione confessus synodalis, vide quæ diximus supra verbo *Calchedonense*, & in notis Concilii Nicæani, verbo *Nicanum*.

<sup>h</sup> *Antepositis in medio sacrosanctis & venerabilibus euangeliis.*] Quæ de causa in medio confessus sacrosancti euangelii codex in throno eminentiori collocatus fuerit, allegatis locis dixi.

<sup>i</sup> *Quibus in Græco interpretatis.*] Quare Paschasinus Latine, non Græce locutus fuerit in Concilio Græcorum, dicemus infra verbis, *interpretante cum Florentio*, &c.

<sup>k</sup> *Synodum ausus est facere sine auctoritate sedis apostolicæ, quod nunquam licuit.*] Confirmantur his verbis ea quæ supra frequenter dixi, foli Romano pontifici conuenire œcumenica Concilia sua auctoritate indicere, iisque per se vel per legatos suos interesse. Vide notas epist. Marcell. tom. I. Concil.

Sine auctoritate Romani pontificis non licet œcumenicum Concilium conuocare.

<sup>l</sup> *Datum tertio Kal. Aprilis, Zenone & Postumiano viris clarissimis consulibus.*] Hoc rescriptum Theodosii pro Synodo Ephesina cogenda ad Dioscorum missum, in nota consulari & temporis deprauatum esse, nemo non videt. Quia vltima Synodi Constantinopolitanæ II. actio in causa Eutycheris habita fuit 27. Aprilis, Asterio & Protogene consulibus, vt constat supra ex notis eiusdem Concilii. Et post hanc synodalem actionem ab imperatore hoc rescriptum est promulgatum. Cum igitur Zenonem & Postumianum superiore anno, nimirum 448. consulatum gessisse certum sit, quid commune est illis cum rebus 449. anni? Restituendum est ergo, *tertio Kalendas Maias, Asterio & Protogene consulibus*. Vide Baronium anno 449. num. 25. Epistolæ quæ sequuntur, ad acta pseudosynodi Ephesinæ spectant. De quibus, præter ea quæ supra diximus in notis eiusdem Conciliabuli, nihil dicam.

Error notæ consularis.

Concil. Tom. 9.

Ggg

Lectio Cō-  
cili emen-  
datur.  
Textus Cō-  
cili emen-  
datur.

Cut Iulia-  
nus Græce  
doctissimus  
in Concilio  
Græcorum  
Latine lo-  
cutus fuit.

Trifagion  
cur hic de-  
cantatum.

Quando &  
qua occa-  
sione insti-  
tutum.

Emendatur  
lectio.

<sup>m</sup> *Tempore Zenonis & Postumiani, &c. indictione 3.*] Hæc verba de-  
prauata, atque hoc modo corrigenda esse, *Post consulatum Zenonis &*  
*Postumiani, &c. indictione secunda*, supra probauimus in notis Con-  
ciliabuli Ephesini.

<sup>n</sup> *Interpretante eum Florentio episcopo Lydia.*] Iulianus Coensis episco-  
pus & legatus sedis apostolicæ, Græcæ linguæ peritissimus fuit. Vo-  
luit enim sanctus Leo epistolam suam de incarnatione Verbi ad Fla-  
uianum scriptam ab eo in Græcum sermonem transferri. Accedit  
quod eiusdem pontificis rogatu ac iussu, vt patet ex epistola Leonis  
56. acta Calchedonensis Concilii Latine transtulerit. Factum est igitur  
non ob inscitiam & ignorantiam Græcæ linguæ, sed potius ob  
maiestatem Latinæ linguæ, excellentiamque Romanæ ecclesiæ,  
quod legati pontificii etiam apud Græcos Latine loqui consueue-  
runt. Vide quæ hac de re notauimus in epistola Leonis 56.

<sup>o</sup> *Consulibus Flauis Zenone, &c.*] Hoc loco qui est pagina 14. col. 1. in-  
cipiunt enarrari acta Concilii Constantinopolitani I. de quibus vide  
quæ dixi supra in notis eiusdem Concilii, tom. 1. Concil. sub Leone.

<sup>p</sup> *Sanctus Deus, sanctus fortis, &c.*] Magna sane Dei prouidentia fa-  
ctum esse videtur, vt cum Eutyches in secreto cubiculo, & penetra-  
libus monasterii, aduersus diuinitatem pugnaturus, super incudem  
obduratæ perfidie fulmina blasphemie fabricaret, quibus ipsa diui-  
nitas, si posset, labefactanda foret, vnam naturam in Christo passam  
atque mortuam esse, &c. prædicaret; magna, inquam, Dei benigni-  
tas est & prouidentia, quod aduersus nouum hunc ducem hagioma-  
chorum non fulgur intorserit, sed canticum dumtaxat præpararit,  
quo diuinitatis immortalitas vbique gentium prædicaretur, & per  
ipsum offensi numinis imploratio conciliaretur. Quod qua ratione,  
quove tempore acciderit, ex antiquo menologio Græcorum annua-  
tim publice in ecclesia legitur & recitatur his verbis. *Die vigesima*  
*quarta Septembris, imperante Theodosio, anno imperii illius 39. qui e-*  
*rat Christi 446. terræ motus factus est magnus, & talis, qualis nunquam*  
*antea factus fuisse commemoratur. Quo factum est, vt totus populus vna*  
*cum imperatore & patriarcha exierit extra urbem in locum qui dicitur*  
*Campus; propterea quod sine cessatione aliqua erat illa terrarum commo-*  
*tio. Cum igitur imperator ipse Theodosius & Proclus patriarcha, & totus*  
*populus litanis & supplicationibus diuinam opem implorarent, repente*  
*puerulus quidam de media turba in aerem raptus est. Omnibus autem præ-*  
*timore clamantibus, Kyrie eleison, descendit puer, & voce magna popu-*  
*lum compellans, petit, vt trifagion in hunc modum decantaret: Sanctus*  
*Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis, miserere nobis. Quæ cum di-*  
*xisset, animam Deo reddidit, & terræ motus quieuit. Ita Deus optimus*  
*maximus, antequam instaret prælium, arma præparauit: antequam*  
*venenum in præcordia irreperet, medicamenta confecit, atque an-*  
*te venturam famem horrea frumento repleuit. Vide quæ dicturi su-*  
*mus infra in notis epistolarum Felicis papæ III.*

<sup>q</sup> *Finis primæ cognitionis.*] Chronologia Christi & indictionis hic addi-  
ta, vitiosa est. quomodo emendanda sit, ex iis quæ supra dicta sunt, patet.

ANNO  
CHRISTI  
416

ANNO  
CHRISTI  
416

ANNO  
CHRISTI  
451.

NOTÆ actionis II.

<sup>1</sup> *Expositio fidei Concilii in Nicæa.* ] Hanc formulam fidei, a quo & in quem finem edita fuerit tempore Nicæni Concilii, dixi supra in notis Concilii Nicæni, verbis, *contra hereses Arianorum*, litera g. notatis.

Formula fidei a quo inuenta.

<sup>2</sup> *Consulatu Paulini & Iuliani.* ] Obseruandum est, quod hæc descriptio, qua die & consule Alexandrino, tempus exactissime describitur, nequaquam ipsi confessioni & formulæ Nicænæ fidei, sed tantum œcumenicæ Synodo præfixa fuerit. Nam hæreticorum tantum consuetudo erat (teste Athanasio de Synodis) edere professionem fidei chronologia temporum & consulum consignatam. Vide notas Concilii Nicæni verbis iisdem.

An nota temporis signata.

<sup>3</sup> *Symbolum Synodi Constantinopolitana.* ] A quo hoc symbolum conscriptum, quomodo alias nominatum fuerit, quando apud Latinos hæc particula, *Filioque*, addita & recepta sit, dixi in notis Concilii Constantinopolitani primi œcumenici, verbo *credimus*; & in notis Concilii Toletani primi, verbo *regula fidei*.

NOTÆ actionis III.

<sup>1</sup> *Vniuersali archiepiscopo & patriarcha magna Roma Leoni.* ] In omnibus his libellis Leo pontifex Romanus, vniuersalis patriarcha nominatur; & in titulo eorumdem libellorum sancto vniuersali Concilio anteponitur. Quibus cum patres Concilii non modo non contradixerint, verum etiam in sua epistola ad Leonem scripta eundem patrem suum & caput appellarint, dubium non est, quin illum vniuersæ ecclesiæ primatem, omnique Concilio maiorem & superiorem esse cognouerint. Verum igitur est quod epistola trigesima ad Eulogium Alexandrinum scribit sanctus Gregorius, per sanctam Calchedonensem Synodum pontifici sedis apostolicæ hoc vniuersitatis nomen oblatum esse. Quod autem subiungit, a nullo suorum antecessorum vsurpatum fuisse, ita intelligi debet, quod nemo Romanus pontifex eo titulo ex solenni ritu semper & in omnibus inscriptionibus vsus sit. Constat enim quod non modo sanctus Leo epistola quinquagesima quarta ad Marcianum, verum etiam Sixtus I. & Zephyrinus se vniuersales episcoporum episcopos & pontifices maximos appellarint. Vide notas epistolæ secundæ Sixti, verbo *vniuersalis*, & in vitam Zephyrini, verbo *Zephyrinus*. Item notas epistolæ 54. sancti Leonis, & quæ dicemus infra in notis epistolæ Synodi Concilii huius, post actionem 16.

Romanus papa vniuersalis episcopus est.

Explicatur locus sancti Gregorii.

<sup>2</sup> *Neque terribile & incruentum sacrificium celebratum est.* ] Conqueritur hoc loco Ischyron diaconus, quod Dioscorus triticum illud, quod imperator Libyæ ecclesiis, tritico ob nimiam prouinciæ ariditatem carentibus, dare solebat, ad conficiendam sacram eucharistiam & solatium peregrinorum, ipse sustulerit, adeo vt eam ob causam in Libya diu non fuerit oblatum incruentum missæ sacrificium. Ex quo cum firmissimum contra hæreticos nostri

Vfus sacrificii incruenti.

Concil. Tom. 9.

Ggg ij

temporis argumentum pro sacrificio missæ, eiusdemque ritibus colligatur, placuit hunc locum hac singulari nota depingere.

Vfus oblationum pro defunctis.

<sup>a</sup> *Vt neque incensum ex oblatione illius Deo offerretur.* ] Vides hic veterem usum, quo pii defunctorum memoriam prosequebantur: quod, nisi sancte pieque soleret in vniuersa ecclesia catholica frequentari, nequaquam coram œcumenica Synodo Dioscoro idcrimini datum fuisset.

Inscriptio edicti mendosa.

<sup>b</sup> *Edictum siue leges sanctæ Marciani.* ] Huius edicti, quo sancitur, ne cui amplius liceat de fide disserere, vitiosa & dolose corrupta est inscriptio. Primo enim non potuit imperator vix trium annorum, fuisse vigesimæ septimæ tribunitiæ potestatis, quæ non nisi cum imperio impertiri solita fuerit. Secundo non potuit, neque debuit inscribi pontifex, cum is titulus in Gratiano defecerit. Hæc & plura alia si constarent sibi, possent tituli ex subiugatis populis defendi. Accidit enim non semel quod heredes imperii iisdem vterentur insignibus titularum, quibus prædecessores condecorati fuerant.

Græca & Latina editio confirmatur.

<sup>c</sup> *Actio IV.* ] Ante hanc actionem quartam in Græco codice ponitur actio synodalis de archimandritis Eutychanis, a præcedentibus & subsequenteribus actionibus distincta. Verum quod ad res archimandritarum in Concilio gestas spectat, putarem magis Latinis exemplaribus quam Græcis in his deferendum esse: quia probabile non est, archimandritas hæreticos auditos esse, antequam lapsorum episcoporum causa tractaretur. Ita verius esse puto, quod post absolutionem episcoporum, archimandritarum causa, prout habent Latina exemplaria, in iudicium deducta fuerit.

<sup>d</sup> *De clericis & monachis.* ] Vide quæ diximus supra in notis Concilii Antiocheni I. sub Iulio, ad Canonem 5.

Lectio Concilii emendatur.

<sup>e</sup> *Actio V.* ] Verius actio septima: quia Græcum exemplar amplius quam Latinum, habet sessionem quintam decimo tertio Kalendas Nouembris celebratam, duasque actiones continentem. In quarum priore de Caroso & Dorotheo quid gestum fuerit, supra dixi. In posteriore controuersia illa, quam de iure metropolis Phories Tyrri & Eustathius Beryti antistites mouerunt, decisa est eo ordine, quo supra dixi. Illam quintam, hanc sextam actionem nominare poteris.

Suriana editio hic emendatur.

<sup>f</sup> *Definitio Calchedonensis, &c.* ] Hæc omnia, alia definitio Calchedonensis Synodi, similiter sub quadruplici editione, &c. quæ tamquam titulus & argumentum alterius cuiusdam definitionis præfiguntur definitioni fidei, deleantur & expungantur: quia vna tantum definitio fidei in Concilio edita fuit. Quamobrem in Latina editione, quod factum est in Græco codice, hæc verba, *sufficeret quidem, &c.* vsque ad finem, cum præcedentibus sine vlla interpositione tituli vel alterius argumenti continuanda sunt. Dolco hæc a typographis in hac editione nostra non esse emendata.

<sup>g</sup> *Actio VI.* ] Hæc actio septima in sessione celebrata fuit. Cum igitur ex præcedentibus constet, duas actiones habitas fuisse sessione quinta, necessario concedendum est, hanc actionem ordine octauam esse.

ANNO  
CHRISTI  
451.

NOTÆ actionis VII.

<sup>f</sup> *Actio VII.* ] Verius actio nona, vt ex præcedentibus constat. Celebrata est autem hæc actio 7. Kalend. Nouemb. cum duabus aliis infra sequentibus, sessione octaua, vt videre est in Græco codice, & apud Liberatum diaconum. Quod igitur initio huius actionis dicitur, 4. Kalend. Nouemb. hanc actionem habitam fuisse, mendosum est.

Emendatur  
actio VII.

NOTÆ actionis VIII.

<sup>g</sup> *Actio VIII.* ] Verius decima. Tres enim actiones supradictæ celebratæ sunt vno die, vnaque sessione, quæ in Græco codice octaua, & apud Liberatum septima est, ideo quod Liberatus vnum illud secretarium, supra ex Græcis exemplaribus restitutum, præterierit. Illud igitur, quod hic in principio dicitur, *Sub die 8. Kalend. Nouemb.* mendosum est, debetque pro octauo poni *septimo Kalend. Nouembris.*

Mendosa  
lectio cor-  
rigitur.

<sup>h</sup> *Actio IX.* ] Hac actione cœpta est causa Ibæ episcopi Edesse- ni, quam verius vndecimam quam nonam actionem nominaueris, ex causis supradictis.

<sup>i</sup> *Post consulatum Flauii Zenonis, &c.* ] Hæc verba mendosa esse, & sic corrigenda, *Sub consulatu Flauii Zenonis & Postumiani*, non tantum ex actis Concilii illius, quod in causa Ibæ habitum est Tyri, verum etiam ex principio actorum Berytenfis Concilii colligitur pag. 109. quo loco sub consulatu Zenonis & Postumiani dicitur habitum fuisse iudicium Beryti in eadem causa, ob quam mense Maio eiusdem anni Tyri aliquot episcopi prius conuenerant. Vide notas Concilii Tyrii sub Leone.

<sup>k</sup> *Actio X.* ] Verius XII. vt ex prædictis manifeste liquet. De rebus hac actione gestis, atque de Ibæ episcopi absolutione & epistola, vide quæ diximus supra in notis Concilii Berytenfis sub Leone. Item supra, verbo *approbatum*, in procemialibus notis huius Concilii.

<sup>l</sup> *Indictione secunda.* ] Mendosum est, corrige: *Indictione prima.* Nam ex principio actorum Concilii in causa Ibæ Tyri habiti, quæ extant supra pag. 107. constat quod consulatus Zenonis & Postumiani, annus Domini 448. & indictio prima inciderint in eundem annum: sicut etiam coincidunt in annum 451. consulatus Marciani & Adelphii, & indictio quarta. Vide quæ notauimus supra in notis Concilii Berytenfis sub Leone.

Quæ de actione secunda huius sessionis nonæ hoc loco dicenda erant, dicta sunt supra in notis actionis 7.

<sup>m</sup> *Actio de Domno Antiocheno.* ] Hæc actio celebrata fuit sessione nona, sexto Kalend. Nouembris, postquam causa Ibæ Edesse- ni episcopi absoluta fuisset. Hæc actio in Græco exemplari desideratur, eamque tempore Iustiniani imperatoris in vulgato codice Græco non extitisse, supra diximus *sessione nona.* Sub nona actione reponi-

Actio de  
Domno  
Antioche-  
no est II.  
habita ses-  
sione nona.  
In Græco  
codice non  
exstat.

Ggg iij

tur, teste Baronio, in quodam vetere manuscripto codice Vaticano. Sed dicenda potius sessio, quam actio nona. Actionum enim numerus sessionum numerum excedit; quia, quod supra frequenter diximus, interdum sub vna sessione plures actiones habitæ fuerunt. Potest nominari & inscribi actio XIII. Quia sept. Kalend. Nouembres, nona actione de causa Antiocheni & Hierosolymitani episcoporum actum est. Decima, de Theodoro Cyri episcopo. Undecima, Ibæ Edeffeni controuersia est inchoata: & duodecima tandem actione, 6. Kalend. Nouembres absoluta.

<sup>1</sup> *Actio XI.*] Hæc actio habita est sessione decima, quæ vero rerum ordine obseruato, est actio XIV. Quid in ea gestum fuerit, supra dixi.

<sup>2</sup> *Relegit regulam nonagesimam quintam.*] De sequentibus duobus Canonibus vide quæ notauimus supra in Concilio Antiocheno I. sub Iulio, Canone 5. 16. & 17.

<sup>3</sup> *Actio XIII.*] Verius XV. si ad ea quæ supra dicta sunt, attendas.

<sup>4</sup> *Actio XIV.*] Verius XVI. De rebus in hac actione gestis consule ea quæ supra dixi sessione 12.

<sup>5</sup> *Actio XV. Canones Synodi complectens.*] Hæc actio synodica non est, utpote quæ legatis pontificiis aliisque orthodoxis episcopis absentibus, post abitum iudicum cognitorum, ad instantiam Anatolii Constantinopolitani, hominis ambitiosi, ab orientalibus dumtaxat dolose & clandestine remanentibus celebrata fuit. Canones omnes absentibus legatis constitutos fuisse, testatur Liberatus in breuiario cap. 12. Eisdem a sancto Leone improbatos fuisse, supra dixi verbo *approbatum*. Qui a Romanis pontificibus renouati, vel in aliis approbatis Conciliis editi sunt, robur & auctoritatem habent. Bellarm. lib. 2. de Rom. pontificibus cap. 22.

<sup>6</sup> *Præter pupillarum (si forte leges apponant) inexcusabilem curam.*] An si episcopus datiuam tutelam alicui clerico imponat, contra statutum Africani Concilii I. sub Stephano celebrati, agat, diximus supra tom. 1. in notis prædicti Concilii Africani.

<sup>7</sup> *Competenter honorentur.*] Quis honor episcopis, quisve presbyteris competat, diximus in notis Concilii Nicæni I.

<sup>8</sup> *De his qui transmigrant, &c.*] Vide quæ diximus supra in notis Concilii Sardicensis Can. 3.

<sup>9</sup> *Nullum absolute ordinari.*] Neminem sine titulo ordinari debere, iam diu in ecclesia obseruatum & constitutum fuit, ut patet ex iis quæ supra in notis ad vitam Euaristi dixi, &c. Nouum ergo non est, quod hic ea de re constituitur.

<sup>10</sup> *Præmiam diæceseos.*] Id est, episcopum Romanum. nam Græca vox huius Canonis *Ἐπίσκοπος* non proprie præmiam, sed principem significat. Solus vero Romanus pontifex est princeps Christianæ diæceseos. His verbis igitur lex constituitur, ut si quis cum metropolitano aliquo controuersiam habeat, non alibi eum conuenire possit aut debeat, quam apud principem diæceseos, Romanum scilicet pontificem.

De tutela  
datiuæ.

Can. 4.

Can. 5.

Can. 6.

Can. 9.

ANNO  
CHRISTI  
451.

<sup>a</sup> *Aus sedem vrbis Constantinopolitana.* ] Hæc non mandantis, sed permittentis Concilii verba sunt, adeo vt horum auctoritate clericis vel episcopis prope Constantinopolim habitantibus concessum fuerit, suas causas coram antistite Constantinopolitano proponere, ibique totius controuersia decisionem expectare. Ita hunc Canonem Nicolaus I. in epistola ad Michaellem imperatorem interpretatur. Eandem expositionem, reiecta sententia Archidiaconi & Ioannis de Turrecremata, sequitur & approbat Bellar. lib. 2. de Romanis pontificibus cap. 22. vbi contra Nilum Thessalonicensem quondam episcopum doctissime primatum Romanæ ecclesiæ defendens, ostendit, nequaquam ex hoc loco probari, quod auctoritate huius Concilii Constantinopolitana sedes, quo ad dignitatem patriarchalem, sedi Romanæ adæquata fuerit. Etiam si enim (quod verum non est) concederemus, quod iuxta hunc & Can. 17. omnis clericus totius orbis iniuria a suo metropolitano sibi illatam apud Constantinopolitanam sedem denuntiare possit, quodque ipsi Constantinopolitano quasilibet causas iudicare liceat: non tamen inde recte probaretur, eundem Romano pontifici parem esse. Nam ex vi horum Canonum, solum eos iudicare potest Constantinopolitanus, qui se a suo metropolitano laesos esse arbitrantur: at Romanus pontifex eos quoque iudicare potest, qui vel ab ipsis patriarchis, vel ab episcoporum Concilii etiam maximis & frequentissimis læsi fuerunt. Quod Cæciliani, Athanasij, Chrysostomi, Pauli, Flauiani, Theodoreti, aliorumque plurium exempla declarant. Iuxta Canones Sardicenses a sententia cuiusvis metropolitani ad Romanam sedem appellare licet: atque ita penes Romanum pontificem vltimum iudicium semper remanet. Vnde etiam si Constantinopolitanus quasilibet causas ex toto terrarum orbe iudicare posset, non tamen apostolicæ sedis antistiti exæquaretur. Vide Bellar. prædicto loco.

<sup>a</sup> *Pacificis tantummodo.* ] Quæ dicantur literæ pacificæ, quæ commendatitiæ, supra in notis ad vitam & epistolam Sixti I. & in notis Can. 425. Concilii Elibertini, item alibi diximus.

<sup>b</sup> *Diaconissam non ordinandam.* ] De diaconissa eiusve officio egimus supra in notis Concilii I. Hierosolymitani, & Laodiceni, &c.

<sup>c</sup> *Clericos.* ] Qua ratione vel occasione transmutatio episcopatum prohibita vel concessa sit, diximus supra in notis Conciliorum Nicæni & Sardicenis.

<sup>d</sup> *Sanctorum patrum decreta.* ] Hic est ille Canon clandestinus & subrepticus, quem Anatolius cum reliquis orientalibus ad primatum suæ ecclesiæ comparandum, legatis absentibus & contradicentibus, constitui atque decerni procurauit; quemque sanctus Leo pontifex pluribus epistolis damnauit & reprobauit, non tantum ideo quod citra auctoritatem Romani pontificis editus, illegitime constitutus fuerit, verum etiam quod duo aliaque plura manifesto falsa mendaciâ contineat. Quod in eo refertur, a patribus Nicænis Romano pontifici primatum esse attributum, quasi cum ante non habuerit, falsum est. Nam vt alia scripturæ, patrum & Conciliorum testimo-

An Constantinopolitana sedes Romanæ æquata fuerit.

Can. 11. Epistolæ pacificæ quæ.

Can. 15.

Can. 20.

Can. 27. Canon de primatu Constantinopolitano redarguitur.

nia omittam, ex ipso initio sexti Canonis Nicæni manifesto constat, quod ipsa Romana ecclesia non a Conciliis vel Christianis imperatoribus, sed a Christo Domino saluatore nostro primatum obtinuerit. Ita enim exorditur sextus Canon Concilii Nicæni: *Ecclesia Romana semper habuit primatum*. Quomodo itaque eum a patribus Nicæni Concilii accepisse potuit? Alterum quod falso asserunt, ideo nimirum Romanæ ecclesiæ primatū esse concessum, quia Roma est sedes imperii, sanctus Leo epist. 52. ad Marcianum, & sanctus Gelasius epist. ad episcopos Dardaniæ, disertis verbis refellunt. Inter alias hanc rationem habet sanctus Gelasius: Mediolanum, Rauenna, Sirmium, Treueri, & Nicomedia, multis temporibus sedes imperii fuerunt. Quibus cum nihil plus iuris, dignitatis & prærogatiuæ ecclesiæ ea de causa concessum fuerit, non immerito mendacii arguuntur, qui dicunt prædicta de causa Romanam urbem ad fastigium apostolici muneris euectam esse. De Canone Concilii Constantinopolitani vide quæ ibi notauimus. Item quæ scripsi supra in notis sexti Canonis Nicæni. Hunc Canonem cum duobus sequentibus tamquam appendicem habet Theodorus Balsamon ex nomocanone Photii.

Can. 30.  
Cur ele-  
ctionem A-  
lexandri-  
ni episc. dis-  
tulerint.

<sup>e</sup> *Quoniam religiosissimi Aegypti episcopi.* ] Cum editus Canon 28. de primatu Constantinopolitanæ sedis verteretur in præiudicium ecclesiæ Alexandrinæ, Alexandrini episcopi electione per summam calliditatem post Synodum distulerunt, ne si præsens esset, conatibus Anatolii restitisset: & ne præsentibus Aegyptii episcopi reclamarent, absentes esse voluerunt, eo prætextu, quod ipsis absque episcopo Alexandrino synodicis decretis subscribere non liceret. Et ne schismatici haberentur Aegyptii, per hunc Canonem declararunt sine præiudicio schismatis ipsorum subscriptionem expectandam fore. Hæc Baron. an. 452. num. 143.

Act. 16.  
Lectio Co-  
cilii emenda-  
tur.

<sup>f</sup> *Quinto Kalendas Nouembris.* ] Hæc verba mendosa sunt. Nam tam in Græco, quam in Latino codice actio hæc, vt patet ex Lucentii episcopi verbis, celebrata est ipsis Kalendis Nouembris. Ita enim ait Lucentius sedis apostolicæ legatus: *Hesternodie, postquam potestas vestra surrexit, & humilitas nostra vestigia vestra secuta est, quadam gesta facta dicuntur, quæ nos & præter Canones ecclesiasticos, & disciplinam astimamus effecta, &c.* Quod cum pridie Kalendas Nouembris acciderit, vt videre est in principio actionis 14. patet hæc verba sic esse emendanda. *Ipsis Kalendis Nouembris in Calchedone, &c.*

<sup>g</sup> *Quod ecclesia Romana semper habuit primatum, &c.* ] Vide notas Canonis sexti supra in Nicæno Concilio.

<sup>h</sup> *Episcopatum tamen Constantinopolitanum.* ] Vide notas Can. 5. supra in primo Constantinopolitano œcumenico, sub Damaso pontifice.

An titulus  
epistole sit  
corruptus.

<sup>i</sup> *Relatio sanctæ Synodi Calchedonensis ad beatum papam Leonem, &c.* ] Cum sancta Synodus hac eadem epistola sanctū Leonem caput vniuersalis ecclesiæ esse profiteatur, nominetque eundem patrem omnium episcoporum, titulum Alexandrinorum libellis inditum non

ANNO  
 CHRISTI  
 451.

non increparit, neque sustulerit, nullumque studium prætermiserit, quo ipsum primarium Christianæ religionis antistitem proferretur, admodum verisimile est, quod nomen œcumenici in titulo huius epistolæ præfixum quidem fuerit, sed librarii alicuius dolo hinc subductum sit: maxime propterea, quia S. Leo lib. 7. epist. 30. ad Eulogium Alexandrinum scribens ait: *Vestra sanctitas nouit, quod vni per sanctam Calchedonensem Synodum pontifici sedis apostolica (cui Deo disponente deseruio) hoc vniuersitatis nomen oblatum est: nusquam fortasse euidentius, quam in titulo & inscriptione huius synodalis epistolæ. Quomodo sit intelligendum illud S. Gregorii, quo dicit, nullum prædecessorum suorum hunc titulum vsurpassè, supra semel atque iterum attigimus.*

<sup>k</sup> Hæc circa finem epistolæ in Latinis antiquis adiecta verba, *Scripta pridie Kalend. Aprilis, feria tertia, indictione 13.* non sunt epistolæ synodicae, sed librarii illius qui eam exscripsit. Sicut enim ex præcedentibus certissime constat, hanc Synodum mense Nouembri absolutam, non peruenisse ad sequentis anni 452. mensẽ Aprilem; ita multo certius est, nihil pertinere decimam tertiam indictionem ad Calchedonense Concilium, quod indictione quarta celebratum esse, ipsa acta Concilii demonstrant. Quid quod epistola referat, Marcianum imperatorem idem exoptare, quod sacrosancta Synodus petebat, nimirum vt primatum vrbi Constantinopolitanæ adiudicatum Leo pontifex confirmet? Quod si verum est, nequaquam defendi potest, synodicam hanc indictione 13. scriptam esse, cum octaua indictione Marcianus imperator defunctus fuerit. Vide Baron. ann. 451. num. 146.

Verba scripta ex-  
 ploduntur.

<sup>l</sup> *Exemplar epistolæ scripta ab imperatore Marciano Alexandrinis.]* Cum Proterius communibus votis episcoporum eorum qui Concilio interfuerant, in locum Dioscori eo modo quem refert Liberatus cap. 14. subrogatus fuisset, maxima seditio in populo cum multorum cæde & incendio excitata fuit, vt videre est apud Euagrium lib. 2. cap. 5. Quam seditionem vt Marcianus princeps optimus & Christianissimus coerceret, misit ad eos Ioannem decurionem virum maxime pium atque disertum, quem, quod laicus esset (catholicos enim omnes & episcopos auersabantur, adeo vt potius irritamentũ fuisset ad iras, quam ad pacem conciliandam fomentum, si episcopum aliquem misisset.) de rebus in Concilio gestis libentius & facilius audirent. Dedit eidem epistolam hanc, qua eos conatus est ad mansuetudinem reuocare, reddereque veritatis amplectendæ cupidos, atque concordia studiosos; insinuans illud in primis, nihil noui in Concilio Calchedonensi esse sancitum, sed omnia secundum Nicænæ fidei regulam, iuxta Alexandrinorum episcoporum sententiam, Athanasii, Theophili atque Cyrilli, esse decreta: adeo quod huic Synodo velle refragari, idem esset, quod suis ipsorum doctoribus aduersari.

Hæc sacra  
 imperato-  
 ris qua oc-  
 casione  
 scripta.

Quid autem imperator hoc rescripto effecerit, non liquet. Certum est illud, Alexandrinorum studium in improbissimum & nequissimum Dioscorum eo vsque inualuisse, vt diuinos etiam hono-

Dioscorus  
 religiose  
 cultus est  
 Alexandria.

res cultumque religiosum (proh scelus) ei detulerint, vel ad hoc vsque tempus, quo anno 1594. ab ecclesia Alexandrina, vniuersaque Aegypto solennis missa est legatio Romam ad Clementem VIII. Romanum pontificem, qua apostolicae sedis communionem, quam post damnatum Dioseorum & emissam orthodoxae fidei catholicae professionem expetebant, obtinuerunt.

Qua occasione haec epistola scripta sit.

<sup>m</sup> *Exemplarepistola Marciani ad archimandritas.* ] Pseudomonachi Eutychniani, in Palaestina grauisimis tumultibus excitatis, Iuenaem episcopum Hierosolymitanum paulo post Calchedonenſe Concilium eiecerunt, & quemdam Theodosium monachum (a quo teste Damaso de haeresi Theodosiani vocati sunt,) hominem nefarium in episcopum ascuerunt, vt constat ex Euagrio lib. 2. c. 5. & Nicephoro lib. 15. c. 9. cuius opera cum post multas caedes & incendia Concilii Calchedonenſis professoribus illata, Eudociam Augustam Theodosii imperatoris relictam viduam in suas partes pertraxissent, scriptis ad Pulcheriam literis, eam in haeresim eandem pellicere tentarunt; scientes talibus artibus, & ex praesidio feminarum Arianam aliaſve haereses toto orbe fecundiore germine propagatas esse. Ne videantur haeretici, profitentur se Eutychem atque Nestorium damnare & detestari. Has literas, quae potius supplicem libellum praese ferebant, cum accepisset Pulcheria, eas Marciano coniugi suo ostendit. Ille vero censens non armis, sed piis potius admonitionibus illos ab errore ad fidem catholicam reuocandos esse, hanc epistolam mansuetudine & doctrina orthodoxa plenissimam ad eos scripsit. Adiunxit alias eiusdem argumenti Pulcheria, quarum exordium est: *Preces equidem, quas ad nostram, &c.* Verum quamdiu Theodosius ille scelestissimus monachus in ea regione permansit, obdurata corda impiorum monachorum emolliri non potuerunt, sed potius cum perditissimo homine in omnia mala conspirarunt. Hisce literis Augustorum laicos Hierosolymitanos per Dei gratiam commotos, ex lapsis primum respuisse constat ex epistola sanctae Pulcheriae, quam ad Bassam abbatissam monasterii quod erat Hierosolymis, scripsit.

His literis imp. laici Hierosolymitani conuersi sunt. Haeretici Romanum pontificem excommunicantes, a gentilibus videntur.

<sup>n</sup> *Non enim terrore aut violentia aliquos volumus trahere ad viam veritatis.* ] Quod ait imperator se neminem inuitum cogere ad fidem, intellige illo modo, quo ipsi haeretici in Palaestina faciebant, gladiis nimirum & tormentis iniuste inflictis. Plura enim aduersus haeticos a Marciano data esse rescripta, patet supra ex actis Concilii Calchedonenſis, act. 3.

<sup>o</sup> *Opprobrium & irrisio scelestis paganis & haeticis iustissime constituti, quibus estis exemplum confusionis effecti.* ] Nota & obserua lector, hos pseudomonachos a paganis aliaſve haeticis derisos esse, ideo quod scelus haecenus intentatum audentes, in sanctam Synodum, ipsumque sanctum Leonem Romanum pontificem anathema dixissent, aliosque ad idem agendum per tormenta impulissent. Quis non derideat nouantes nostri saeculi haesiarchas, maiora, si possent, patratturos?

ANNO  
CHRISTI  
451.

ANNO  
CHRISTI  
451.

que  
nac  
ean  
ord  
n  
Ti  
mi  
scri  
rec  
qu  
tiq  
ribu  
du  
qu  
bu  
fir  
fan  
ori  
fia  
re  
hu  
co  
pr  
re  
E  
ru  
la  
&  
nu

ga  
Ni  
nu  
ch  
S  
A

S  
te Pr  
xand  
qui a  
nam f  
C

ANNO  
 CHRISTI  
 451

*Exemplar epistolae Leonis imperatoris.* ] His omnibus epistolis sequentibus scribendis occasionem praeberunt, partim pseudomonachi in Aegypto sacram Synodum Calchedonensem respuentes, eamque de erroribus arguentes; partim plebs Alexandrina, quae exordio imperii Leonis, anno nimirum Domini 457. in caena Domini septimanam sanctam Proterium Dioscuro substitutum occidit, eique Timotheum Aelurum caedis auctorem, parricidam sacrilegum, hominemque, qualis depingitur in epist. Alexandrinorum ad Leonem scripta pag. 146. scelestissimum subrogarunt. Leo igitur imperator recens electus, accepta gratulatoria Leonis pontificis epistola 73. qua ad defensionem Calchedonensis Concilii monebatur, nihil antiquius habuit, quam fidei orthodoxae consulere, & quibus eam viribus confirmare atque solidius stabilire valeret. Ad quod praestandum illud salubre consilium iniit, ut sanctionem amplissimam ederet, qua significaret, se confirmare omnia a praedecessoribus imperatoribus aduersus haereticos promulgata decreta, atque in primis quae pro firmitate Calchedonensis Concilii haud pridem a Marciano Augusto sancita fuissent edicta. Adiecit postea, ut ad metropolitanos omnes orientales literas daret, quibus reliqui pariter admonerentur ecclesiarum minores episcopi, ut cuius essent fidei, redditis literis facerent manifestum: ex quo alterum de duobus efficeretur; ut vel in hunc modum omnium orthodoxorum calculo, iterum ipsorum confessione Calchedonense Concilium firmaretur, & perinde ac praesentes in Synodo, sua scriptione fidem catholicam committerent: vel saltem ex hoc, qui essent haeretici, palam fieret, detestique tum sententia episcoporum, tum etiam legibus imperatorum e gradu sedeque protinus eiicerentur. Haec constant ex epistola Alexandrinorum, quam ad Leonem imperatorem transmiserunt, & ex illa encyclica imperatoris ad Anatolium Constantinopolitanum his de rebus scripta.

Qua occasione epistolae viro- rum illustrium pro Calchedonensi Concilio scriptae sunt.

Hac occasione ipsi quoque haeretici ad Leonem imperatorem legatos literasque dederunt, quibus more haeticorum profitentur se Nicenam fidem citra vllum additamentum credere, quibus Ephesinum Conciliabulum sub Dioscuro celebratum venerantur, & Calchedonensem Synodum reiiciunt.

**\* SYNODVS ALEXANDRINA,**  
**A PROTERIO ALEXANDRINO EPISCOPO**  
 in causa Eutythianorum celebrata sub Leone.

NOTA.

\* *Synodus Alexandrina* ] In hac Synodo congregata auctoritate Proterii illius, qui in locum Dioscorigi magna cum seditione Alexandrinorum, ut supra diximus, subrogatus fuit, actum est, ut illi qui a catholica communicatione haectenus ob haesum Eutythianam separati fuerant, catholicae fidei professione facta, ad ecclesiam  
 Concil. Tom. 9. H h h ij

Causa habiti Concilii.